





DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE

1715,4

13

21

JURE
DISPENSANDI,

QUAM

DEO TER OPTIMO MAXIMO PRAESIDE,
EX DECRETO MAGNIFICENTIORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS LUDOVICIANA

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI,

PLACIDÆ EXCELLENTISSIMORUM ACADEMIE
PROCERVM DISQUISITIONI SVBMITTIT

SIGFR. GUNTHER. HOFFMEISTER,
HILDESIENSIS SAXO.

H. L. Q. C.

AD DIEM 28. NOVEMBRIS ANNO 1715

GIESSÆ-HASSORUM,
Typis VIDUÆ JOH. REINH. VULPII, ACAD. TYP.

DISERTATIO TRIPLICIUM

DE

JURE

DISPENSANDI

DEO TER OPTIMO MAXIMO PRINCE

EX DECRETO MAGNIFICENTISSIMAE

IN ILLUSTRISSIMO LUDOVICIANA

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE

HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA

ETI CAPSULAE

ACADEMIAE EXCELLENTISSIMORUM

ETI CAPSULAE

SICQ. GUNTHERI HOFMEISTER

ACADEMIAE

1774



VIRO
MAGNIFICO atq; EXCELLENTISSIMO
DOMINO
JOHANNI MELCHIORI
HOFFMEISTER,
REVERENDISSIMI & SERENISSIMI
ARCHI-
EPISCOPI
ATQUE
ELECTORIS COLONIENSIS
IN EPISCOPATU HILDESSENSI
CONSISTORIALI, ET JUDICII
AULICI ASSESSORI MERITISSIMO;

NEC NON
SERENISSIMI PRINCIPIS
ARAUSIONIS & NASSOVIÆ
CONSILIARIO, & CANCELLA-
RIÆ, QUÆ COPPENBRUGGÆ EST,
DIRECTORI GRAVISSIMO,
PARENTI SVO AD CINERES
USQUE DEVENERANDO,

In tesseram perpetuæ Filialis observantiæ, cum intimo
omnigenæ prosperitatis voto,

Dissertationem hancce piè & decenter
offert, dicat atque dedicat

AUTOR.

CAP. I.



CAPUT I.

DE

JURE DISPENSANDI IN GENERE.

§. I.

LUs dispensandi, sive potestatem Legibus derogandi l. 1. §. 2. l. 3. de Const. Princ. quod & suo modo, Principibus Statibusque Imperii aliis, vi & jure superioritatis territorialis competit, ad Majora Majestatis Jura referendum esse, DD. uno ore consentunt. An-
 requam autem de re ipsa verba faciamus, opus erit *varium vocabuli sensum*, & quem hic denotare debeat, exponere brevibusque enodare. Prolixius recensere ac explicare studet hanc variam vocabuli significationem Dn. Ziegler *Jur. Majest. l. 1. c. 7.* Juri nostro Civili in hoc significato id ferè esse incognitum & in puriore latinitate minus receptum, dispensandi affirmat, cum Zasio, in l. *Princeps 2. ff. de legib.* Propriè enim & apud probatos autores, *dispensare* idem fuisse quod disponere, curare, procurare & ordinare, testimoniis demonstrat; & hinc *dispensator* propriè dictus est ille, cui pecuniarum administratio credita erat l. 2. C. *de modo multar.* Franc. Duaren. ad Tit. C. *si advers. fise.* Sed Canonistas deinceps, uti plurima alia vocabula, ita & hoc alio
 A usurpasse

ultrapasse sensu idem laudatus Zieglerus docet. Conf; Beust. de Matrim. c. 56. quos secuti mox Juris Civilis Interpretes, dispensationem dixerint, quando gratiam alicui factam innuere voluerint. Vid, etiam Brouver. de Jure Connub. ap. Batav. l. 2. c. 6.

Dispensatio definitur, & ab affinis discernitur.

§. II.

Dispensatio in nostro sensu accepta denotat Relaxationem & exemptionem actus alicujus ab observantia Juris communis contrarii, a legislatore, vel eo, qui potestatem superiorem habet, ex justa causa factam. Quomodo autem dispensatio differat (1.) ab æquitate, quæ sc. legem explicat, (2.) à Privilegio, quod non præsupponit Juris Communis contrarietatem, sed præter jus aliquid concedere toler. (3.) à Permissione, quando circa actus indifferentium nihil peculiariter disponit Princeps, sed eosdem libero subditorum arbitrio relinquit (4) ab Impunitate & Tolerantia, quando actus Legibus contrarii improbantur quidem à superiore, ob graviores autem rationes impuniti relinquuntur (5) ab Aggratiatione, quæ circa actum jam commissum versatur, prolixius hic deducere è re nostra non erit, quare pauca hæc ad rem præsentem monuisse nunc quidem sufficiat.

Cui dispensandi Jus competat?

§. III.

Competit vero dispensandi Jus ei, qui Legibus est superior, i. e. summo Imperanti qui Legislatura gaudet potestate. Illis enim solummodo Legibus derogare concessum, quibus Leges terre permittitur, cum dispensare nihil aliud sit quam tollere obligationem Legis vel Canonis in casu dispensato c. gratum. c. bona memoria. circa fin. X. de postul. Pralat. Quinti vallis, circa fin. X. de Jurejur. quod nemini quam superioritatem habenti & supremum tenenti Imperium licitum est. Quare Magistratum inferiorem, aut illum, qui vasa Superiorum non habet, regulariter quoque Legis dispensatione destitutum esse oportet.

§. IV.

§. IV.

Quicumque igitur superioritate territoriali gaudent, ha-
 bent hodie fundatam quoad omnia huic competentia jura, & sic
 quoque quoad dispensandi jus, intentionem, quia Regalia territo-
 riali superioritati ut plurimum insunt; & qui superioritatis jura
 habet tam Majora Regalia, quam Minora sibi vindicet Sixtin. de
 Regal. l. 1. c. 1. n. 8. Si quis ergo intra territorium alterius vel in secu-
 laribus vel in Ecclesiasticis quaecumque jus sibi asserere velit, id
 ipsum specialiter probare oportet, sive quod illud praescripserit,
 sive quod specialiter eidem sit concessum Becker. Jur. publ. c. 4. §. 17. in Ecclesi-
 Quod autem, ut in secularibus sic quoque in Ecclesiasticis, Statibus
 A. C. additis illimitata, respectu Papalium sanctionum, compe-
 tat in territoriis suis potestas, nemo inficias ibit, posteaquam
 tota Jurisdictione Papalis per Instr. Pac. art. 5. §. Jus Dioecesanum
 in terris Protestantium suspensa est.

Statibus
 Imperii
 jus di-
 pensandi
 competit.
 In specie,
 in Ecclesi-
 asticis, Sta-
 tus A. C.
 additi di-
 spensare
 possunt.

§. V.

His autem, quibus superioritas territorialis ut totum ali-
 quod potestativum competit vel concessa est, iis quoque Juris-
 dictio, ut pars, concessa videtur. Nihil autem aliud est superio-
 ritas territorialis, quam summa quaedam potestas certo territorio,
 cum Juribus Regalibus, salvo tamen Jure Imperatoris atque Im-
 perii, immediatè competens, Coccej. Jur. publ. prind. C. 21. §. 7. Jurisdi-
 Dico: salvo tamen Jure Imperatoris atque Imperii, quia vulgatum est
 est, superioritatem territorialem intelligi, exceptis iis, quae
 Imperatori atque Imperio in signum supremæ potestatis sunt refer-
 vata, Schrader. Part. 1. de Feud. c. 3. n. 5. Conf. B. Academia hu-
 jus Cancellar. Dn. Hertium, de superiorit. territor. §. 3. ibi in Not. 2.
 Jurisdictionis autem appellatione (sc. Jurisd. quam hic intelligi-
 mus) ipsius Majestatis Statibus Imperii analogicè competentis exer-
 citium venit, ut proinde omnem Imperatoris potestatem Juris-
 dictionis vocabulo includere libuerit Matth. Stephan. & Tob.
 Paurmeist: in Tractat. de Jurisdic. Qui proinde hanc possidet Ju-
 risdictionem, absque ulla controversia leges quoque promul-
 gandi

Fluit hoc
 jus dispen-
 sandi ex
 suprema
 Jurisdi-
 ctione.

gandi potestatem habet, & per consequens facultate quoque circa eas dispensandi fruatur necesse est.

§. VI.

Qu. An Status Imperii ab a. Civilibus & Ecclesiasticis antiquitus infundare consuevit, dispensatio Imperii Statu cum Juribus Regalibus investitus, dispensandi quoque Jus obtinuisse censetur?

Suboritur hoc loco quaestio: *Ansc. Princeps aut Status Imperii, qui alium Principem cum omnibus territoriis Juribus Regalibus (vulgo Herrlichkeiten) & omnimoda Jurisdictione in Criminalibus, Civilibus & Ecclesiasticis antiquitus infundare consuevit, dispensatio Imperii Statu quoque concessisse praesumatur?* Et Respondendo, quod ex tenore sphae II. & IX. jam statim clarius elucescet, De Feudo oblato nullam est dubium, quin Status Imperii omnibus suis Juribus illa salva dignitate & jure status, superioritatem territorii sui alii Principum in Feudum offerre, & ab ipso sub lege fidei Vasallitica recipere queat; quo casu nec tollitur quid subjectionis Imperio debite immedietas, nec libertas Imperii ante habita imminuitur. Alciat. *integro Respons. in causa Wurtembergic. Consil. 451. Sixtin. Consil. Marp. 8. n. 45. Gylman. Tom. 1. Symphor. Cam. P. 1. Tit. 4. fol. 300. Myler. de Princip. imp. c. 9. 4. 7. 8.* Imò eo tempore, quo Imperii nostri Status post obitum Frider. II. summopere perturbatus fuit, saepius vel propinquioris & majoris protectionis gratia vel alii ex causis praegnantibus Feuda potentioribus Imperii obtulisse ab iisque recognovisse, sedulum historiarum scrutatorem non later. Est enim probata Legibus Imperii sententia, posse Statum Imperii Protectioni alterius Potentioris, salva cateroquin Status dignitate, ad modum definitum se submittere, per *Recess. Imp. 1548. §. 5. B. Dn. Canc. Hert. de Feud. oblat. p. 2. §. 25.* si quidem hoc indubium est, etiam plenam Majestatem sub nexu feudali commo- dum stare posse, quod ex libris Politicorum abunde patet. *Gror. J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 23. B. Dn. Hert. Polit. part. 1. sect. 12. §. 12.* Non autem inde consequitur, utis, qui terram recognoscit à Principe, superioritatem quoque ab eo recognovisse censeatur *Menoch. 3. praesumpt. 98.* aut, ut ex eo jus aliquod majus, quam quod Dominis directis aliàs ratione Feudi tribuitur, vel in terras, & subditos, aut ipsam Vasalli personam consequatur. Siquidem uti directum dominium non importat superioritatem in subditos Vasalli,

Vasalli, qui non æquè habentur pro subditis Domini Feudi; Besold. *Conf.* 233. n. 76. ita quoque Eximens exempto Jus in suos subditos vi istius exemptionis auferre non potest.

§. VII.

Ad quæstionem autem modò propositam ut propius accedamus, indubitati juris esse existimo, concessò territorio per modum Feudalis beneficii & investituræ sub qualitate & nomine, *Resolutio quæstionis ex Principio, quod positò Generalibus;* aller Herrlichkeiten live Geist- und Weltlichen Hoheiten / Gericht und Gerechtigkeiten / omnia Jura Regalia, tam Majora quam Minora concessa venire. Non solum enim per hanc concessionem merum mixtumque Imperium; Jacob. Menoch, *de Præsumpt. re i. e. Regalibus;* 97. n. 15. Herm. Vultej. *de Feud. l. 1. c. 5. n. 5.* Henr. à Rosenth. *in Synops. Feud. c. 5. Concl. 6. n. 1. & 2.* sed etiam ipsa Regalia territorio coheræntia transire demonstrat Schrader *Tr. de Feud. qu. 8. p. 1.* Math. Stephani, *de Jurisd. c. 7. n. 125.* indeque omnes Jurisdictiones datas censei, inquit Anton. Faber. *in Consult. grav. de Ducat. Montisferr. pro Duce Sabaud. p. 1. p. 43.* Quando enim vox (Herrlichkeiten) interjungitur verbis jurisdictionem innuentibus, non potest non Imperium sublime denotare; nullatenus verò ad Regale quoddam Minus deprimi potest. Sic etiam, quando, recensitis Regalibus nonnullis, subiicitur Cl. Generalis, tunc omnia Regalia concessa intelliguntur. Meischner, *Tom. 1. Decis. Camer. L. 1. Decis. 6. n. 88.* Welenb. *Conf. 27. n. 22. & Conf. 41. n. 41.*

§. IIX.

Regalibus igitur hisce etiam Jus dispensandi annumerari jam tum diximus, quare necesse est, concessis Regalibus, illud quoque contineri; & hisce datis, illud quoque competere. In tantum autem sese extendit Vasalli immedietatem habentis potestas, ut Religionem, Politiam, cæteraque mutare (salvis Imperii Legibus) possit, Domini directi jussu aut permissu non attento; quoniam hæc privilegia Personæ adhærent, non territorio. Petr. Frider. Mindan. *L. 1. de Process. extrah. c. 32.* nec turbari potest aut debet in ista Jurisdictione seu libertate, quo minus in omnibus causis

A 3

terre

terra suæ, tam in prima quam secunda instantia cognoscat. The-
saur. inter *Decis. Resp. pro Vasall. n. 2.* atque idem de Nobili quo-
que immediato sentit *Unrathj de Jurisd. Eccles. Nob. immed. §.*
23. seqq. §. 70 add. *Martam, de Jurisd. P. 1. cas. 199.* Quanto ma-
gis igitur illi liberum vindicatur jus dispenlandi, cui reforman-
di in sacris data est potestas.

§. IX.

*Rationes
dubitandi
diluuntur*

Nec obstat Jus appellandi aut alia quædam jura Directo Do-
mino in ejusmodi terris clientelaribus quaesita, quæ per compro-
missum aut ex conventionem perpetua acquisita fortè fuerunt. Etsi
enim appellationes regulariter ad superiorem diriguntur, per tradi-
ta *Cravettæ Cons. 209. n. 9. seqq.* tamen non inde mox sequitur,
illum, ad quem appellatur, ea propter in aliis quoque juribus
ut superiorem recognoscendum esse. Posset hoc pluribus exem-
plis tam in Imperio, quam extra id reperiendis, illustrari; sed
sufficiat in præsens unicum Ducatus Curlandiæ, qui cum Poloniæ
Feudum sit, & ab eo ad supremum Poloniæ Judicium appelleretur,
in cæteris tamen omnibus Dux sui juris est, sine ulla Jurisdictionis
& potestatis territorialis imminutione. *Hartknoch, Dissert. de
Curon. & Semi-Gall. Rep. §. 11. & 14.* Neque consequentiam in-
volvit, quod, quia Regale aliquod, etsi de Majoribus, Vasallo vel
in Possessorio aut petitorio ereptum aut evictum sit, aliis quoque
Regalibus, aut ipsa superioritate carere eum oporteat, cum ma-
gnopere differant Appellatio & Dispenfatio. In illa enim secun-
dum legum præscripta æque ac in prima instantia procedi oportet;
in hac autem contra legis tenorem aliquid permittitur, quod nemini
nisi potestatem Legislativam habenti concessum diximus. Acce-
dit adhuc, quod per notissima Juris, Pacta sint stricti juris, pro-
pterea que ad non expressa non extendenda; & quod exceptio regu-
lam firmer in casibus non exceptis, quando videlicet unum aut
alterum tantum jus, v. c. Appellationem sibi reservavit Dominus, ubi
cætera omnia, si vel maxime non expressa sunt, vasallo concessisse
censetur: *Pruckman. de Regal. c. 5. n. 66. & Welsenbec; Cons. 32.
n. 34.* Quare illi potius superioritatem, & sic quoque facultatem
circa

circa Leges disponendi & dispensandi habere etiamnum potandi sunt, qui universalitatem jurium pro se habent ab initio. Lynck. *Consf. 3. qu. 2.* Klock *de Contrib.* Unde quid exentum esse affirmanti incumbit, ut probet, Lynck. *Resp. 193. n. 63.* Accedit denique & illud, quod, in Capitulationibus noviter electi Imperatores promittunt, se non permissuros, *ut quisquam imperii status, sub prætextu vinculi Feudalis in alterius subditos juris quid sibi arroget.* Capit. Leopold. & Josephi *art. 7.* Augustiff. Caroli. VI. *art. 15.*

§. X.

Ex potestate legislatoria dispensandi jus deduci supra memoravimus; de quibus igitur Leges ferre non licet, in illis quoque dispensatio inrerponi prohibetur, quia sc. dispensatio partem constituit potestatis Legislatoriæ. Quare in genere interdicta est dispensatio in genere tam in Legibus Naturalibus, quam divinis, quæ ipsius arbitrio minimè subluunt. Per leges autem divinas hæc non intelliguntur Ceremoniales aut forenses, quas supremum Numen Populo Israelitico, tanquam prudentissimus omnium Legislator, ad certum tantummodo tempus, ad præfigurandum Christum cum beneficiis suis, & ad formam & statum illius Reip. posuit ac præscripsit. Hæ enim ideo non sunt promulgatæ, ut obligarent omnes Gentes, sed ut facerent distinctionem Politicæ Mosaicæ ab omnibus aliis, & quia adventu Christi abrogatæ & extinctæ sunt, ut proflus omitti possint, inde recte fit, ut exemplo publico libertas illa ostendatur, ceu egregiè ait Chemnitius, *Loc. de Lege Dei. c. 4.* Add. H. Grot. *de l. B. & P. L. 1. C. 1. n. 26. 17.* Bernh. Gerh. *de LL. Cere mon. & Forens. n. 40.* Goed. *de Contrab. stipulat. c. 7. n. 29. seqq.* Sermo propterea hic est de Jure divino morali, quo omnes tenentur mortales, & quod, quia à Divina Majestate constitutum, ab humana potentia mutationem pati non potest, nisi jussu aut prohibito sub aliqua conditione aut certa restrictione facta sit, quam tunc pro renatâ, sc. conditione non existente, aut extra casus restrictos limitare ac declarare licet. H. Grot. *de Imper. summar. potest. circa sacra c. 3. n. 11.* An circa P. Layman. *Theol. moral. l. 1. Tr. 4. c. 4. n. 23.* Leges, quod attinet, Naturales, les?

Circa
quas LL.
dispensatio
in genere
tam in
Legibus
Naturalibus,
quam
divinis,
quæ
ipsius
arbitrio
minimè
subluunt.
Per
leges
autem
divinas
hæc
non
intelliguntur
Ceremoniales
aut
forenses,
quas
supremum
Numen
Populo
Israelitico,
tanquam
prudentissimus
omnium
Legislator,
ad
certum
tantummodo
tempus,
ad
præfigurandum
Christum
cum
beneficiis
suis,
&
ad
formam
&
statum
illius
Reip.
posuit
ac
præscripsit.
Hæ
enim
ideo
non
sunt
promulgatæ,
ut
obligarent
omnes
Gentes,
sed
ut
facerent
distinctionem
Politicæ
Mosaicæ
ab
omnibus
aliis,
&
quia
adventu
Christi
abrogatæ
&
extinctæ
sunt,
ut
proflus
omitti
possint,
inde
recte
fit,
ut
exemplo
publico
libertas
illa
ostendatur,
cei
egregiè
ait
Chemnitius,
Loc. de Lege Dei. c. 4.
Add. H. Grot. *de l. B. & P. L. 1. C. 1. n. 26. 17.*
Bernh. Gerh. *de LL. Cere mon. & Forens. n. 40.*
Goed. *de Contrab. stipulat. c. 7. n. 29. seqq.*
Sermo propterea hic est de Jure divino morali, quo omnes tenentur mortales, & quod, quia à Divina Majestate constitutum, ab humana potentia mutationem pati non potest, nisi jussu aut prohibito sub aliqua conditione aut certa restrictione facta sit, quam tunc pro renatâ, sc. conditione non existente, aut extra casus restrictos limitare ac declarare licet. H. Grot. *de Imper. summar. potest. circa sacra c. 3. n. 11.* An circa P. Layman. *Theol. moral. l. 1. Tr. 4. c. 4. n. 23.* Leges, quod attinet, Naturales, les?

Naturales, quæ quia semper sunt firmæ ac immutabiles; dispensationi quoque minimè (sunt obnoxie, §. 1. J. de J. N. G. & C. quamobrem nec, quod hoc jure absolute prohibetur, præcipi, nec, quod jubetur, vetari potest, nisi quod interdum aliquid pro re natâ addi, interdum verò detrahi jubeat conditio & utilitas civium & forma Reip. l. 6. ff. de J. & J. Conf. Brunnem. ad eand.

§. XI.

An circa
Jus Gen-
tium.

Jus Gentium est ipsum Jus Naturæ hypotheticum, seu pro certo rerum Statu tale. §. 11. J. de Rer. div. ad actiones Gentium applicatum. Fluit enim ex ratione naturali, communem omnium hominum in societate civili viventium commoditatem ac utilitatem respiciente; quare non potest non propter istam commoditatem ac utilitatem, quæ plerisque omnibus placuit, à singulis quoque membris illius societatis approbari. Non aliter igitur hic se se res habet cum hoc jure quam cum Jure Naturali. Hactenus enim *vox Dei* Principis se non extendit, ut totum id, quod propter universalem utilitatem atque necessitatem instinctu Naturæ à Gentibus introductum est, abrogari possit à Principe; sed saltem necessitate & utilitate Reip. id exigente aliquid superaddere aut detrahere queat. Dicendum hic quoque esset de LL. divinis *Positivis* Levit. 18. & 20. reperiendis; sed cum harum LL. indoles latius exponenda sit, id infra in Cap. II. & V. commodius fieri poterit.

§. XII.

An circa
LL. Imp.
funda-
mentales:

Leges quoque Imperii fundamentales extra spheram po-
testatis Statuum Legislatoriæ, & per consequens quoque Dispen-
sationis esse patebit. Sunt enim potius pacta & conventiones,
quam LL. appellandæ. Siquidem omnes Imperii Status simulac
in Recessus Imperii, Instrumenta Pacis & Capitulationes (quæ
junctim sumta vulgò LL. fundamentalium nomine veniunt) con-
senserunt, eo ipso iis obligari dicuntur, adeoque & huc appli-
cari potest tritum illud; quod ab initio est voluntatis, postea fit
necessitatis. Quippe satis superque notum est, Principes pactis
& Contractibus æque firmiter obligari ac privatos, quorum jure
in

in his utuntur. Quapropter etiam illud, quod mutuo consensu colligatum est, mutuo quoque omnium dissensu dissolvatur necesse est; *per l. 35. de R. l. § 8. ult. l. quib. mod. tollat. oblig.* Sicuti enim in quavis conventionione altera pars contrahentium, altera invita, nec discedere à contractu, nec quicquam in eo mutare potest: Ita nec Imperans aut Princeps absque consensu reliquorum Imperii Procerum, quibuscum antea convenit, Legibus Imperii aut Capitulationi aliquid addere aut adimere potest; eodemque modo cum ceteris harum legum capitibus se se habere apparer. Circa has igitur Leges Principis dispensatio, rebus sic stantibus, & eodem modo semper se habentibus, locum non invenit. Conf. *Carpz. in Discuss. Vor. Septemvir. dogm. 1. n. 55. 56.* Non autem hac ex causa, quod, ut LL. divina & naturales, à superiore constitutæ sint, sed propter Conventionem & datam eâ fidem, quæ etiam in Principe adesse debet. *Cuno, de Pact. l. 1. c. 24. n. 20. 26.* Nihil enim tam congruum est fidei humanæ, quam pacta servare, & fidem datam non fallere, ait *JCtus, l. 1. ff. de Pact. § l. 1. de Constit. Pec.*

§. XIII.

Si igitur verum est, quod quilibet Imperii Status Imperii Legibus obligetur, quæ communi Cæsaris atque Ordinum consensu introductæ sunt, eum in finem, ut ab omnibus per totum Imperium observentur; utique ex eo inferitur, quod aliquid illis adversum aut contrarium Principes in suo territorio sancire non possint. Scio equidem huic communiter obiici solere; *Recessus Imperii solos præcipuè immediatos aut Partes paciscentes stringere, quorum gratiâ Recessus principaliter confecti sint, & qui mutuo consensu illis se subjecerint; quoad subditos verò nihilominus ipsi integrum manere, in territoriis suis LL. & Statuta condere, etiam Imperii Recessibus contraria. Sed iis respon-* *Ubi obiter Qu. an Status Imperii Im- perii Con- stituti- bus de- ro- gare pos- sint?*

B


intentione

intentione factum præsumatur, ut Principes & Status Imperii constringerentur, actiones & negotia subditorum suorum illis conformare? Sanè neminem reperiri posse crediderim, qui prius asserere audeat; quin potius, ut posteriori assensum præbere cogatur, ex certis rationibus, magis opinor. Quare enim ordines Imperii, ut in terminis maneam, *de quantitate usurarum* licita &c. disposuissent, si hac dispositione mediatos Imperii cives constringere non intendissent? Ad solos immediatos enim illam restringere velle inconveniens foret; & hoc eo magis, quia ratio, quod ad subditos Principum principaliter pertineat, in promptu est, sc. ut Contractus fœneratitii tollerentur, qui subditorum interitum ac perniciem promovent; quapropter si quis Imperii Status Contractum fœneratitium Imperii Constitutionibus prohibitum permittere vellet, numquis in præjudicium reliquorum Statuum & perniciem horum subditorum illud licitum esse putaret? Credo quod non.

§ XIV.

Et respondetur dissentientibus.

Nec obstat, si quis obiiciat: *Observantiam* tamen docere, Statuta & consuetudines locorum Imperii Constitutionibus sapè contrariari & prævalere. Notum enim est, in Recess. Imp. de Ao. 1600 §. *Ed viel nun* 193. & in R. I. noviss. §. *Anreichend.* 174. non esse licitas usuras, nisi quincunces; & tamen concessum fuisse, ut præterea Creditores peculiariter & Interesse prætereendere possint; imò in diversis provinciis semisses usuras veluti in Austria & Marchiâ &c. usu receptas esse. At respondeo, manere nihilominus regulam, quoad quincunces usuras; & limitationem, quâ de peculiari Interesse disponitur, æquè Ordinum consensu adjectam, de eo casu loqui, ubi, à tempore moræ tam ex lucro cessante, quam ex damno emergente, Creditor, quid sua interfit, solutionem non fu se dilatam, docere queat. Quod autem ad contrariam attinet observantiam, illa non ex vi suâ, sed ex tacito furte consensu Ordinum, alicubi valer, qui ex notitiâ publicâ & tolerantia sufficientis temporis præsumitur. Imo, si lites desuper obortæ ad Cameram deveniunt, juxta Imperii Constitutiones, pro quincuncibus pronunciat. §. XV.



(II)

§. XV.

Vidimus, supra memorata jura dispensationem Principis in-
 dubitatò superare, nec ejus potestati subjecta esse. Videbo nunc
 etiam ea, quæ Principis dispensationi subiant, de quibus, dum pau-
 lò prolixius acturus sum, dispensationis licentiam in *Matrimonia-*
libus Capite secundo; quatenus ea in *Testamentis*, tertio; qua-
 tenus in *Contractibus*, quarto; & denique quinto, quatenus in
Pœnis licita sit atque permiffa, collustrabo.

*Transitio
 ad sequen-
 tia.*



CAPUT II.

DE

JURE DISPENSANDI IN MATRIMONIALIBUS.

§. I.

Iurisditionem Papalem in terris Protestantium sublatam esse jam supra memoravimus, unde quoque jus dispensandi jure postliminii ad Status Protestantes in Imperio nostro cum cæteris Juribus Episcopalibus rediit, Pontificiis illud adhuc Pontifici relinquentibus. Dubium ergò cum non sit, in matrimonialibus quoque quoad jus dispensandi, vim ac potestatem suam exerant; idò inspiciemus paululum accuratius, quousque Evangelicis Ordinibus in dispensandi jure procedere liceat.

*Principes
 Evangelici
 habent
 in matri-
 moniali-
 bus jus di-
 pensandi.*

§. II.

Matrimonium definitur à Triboniano §. 1. *de patr. potest.* Viri & Mulieris coniunctio, individuum vitæ consuetudinem continens. Ab aliis adhuc aliter describitur. Nobis magis arridet illa definitio, quâ Matrimonium dicitur: Legitima societas maris

*Matrimo-
 nii defini-
 tio.*

B 2

&

& fœminæ, sobolis procreandæ gratiâ primariò contracta. Societas autem contrahitur vel Naturâ vel consensu nostro, & per hunc etiam, in societatem conjugalem promovetur. Requiritur ergò secundum jura notissima, ut is, qui matrimonium contrahere vult, consensum quoque suum declarare valeat. Consensus enim facit matrimonium *l. 11. ff. de Sponsal. & C. 14. X. de Sponsal.* Unde sequitur matrimonium validum non posse inire ab iis, qui consensum propter ætatem vel aliam ob causam dare nequeunt. Huc pertinent matrimonia *infantum*, quæ regulariter sunt prohibita *l. 14. ff. de Sponsal. c. 2. 23. 4. X. de despons. impub.* Matrimonia quoque *furiosorum* non subsistere plusquam manifestum esse dicitur, *in l. 8. ff. de Sponsal.* nec minus *Eunuchis* matrimonia interdicta esse, notissimi juris est, quia finis matrimonii primariùs ab eiusmodi castratis obtineri non potest. *l. 14. in f. de Mannmiss. vindicta §. 9. 7. de Adopt. Nov. Leon. 98.* Annon verò Princeps talia matrimonia admittere, & circa ea dispensare possit, quæstio est altioris indaginis, quam tamen hæc vice non discutiemus, sed saltem illud aliquantum penitius consideremus, quousque Principi aliàs in matrimonialibus data sit dispensandi potestas. §. III.

Matrimonia interdicta infantum, Furiosorum, Eunuchorum.

Dispensandi in Gradibus Lege divinâ prohibitis potestas non competit.

Et ne quidem Pontifici.

In Gradibus Jure divino prohibitis neminem dispensare posse, ut ex supra dictis fluit, ita omnes unò ore id confiteantur oportet. Nonnulli ex Pontificiorum castris quidem defendere conati sunt, in omnibus gradibus, etiam jure divino prohibitis, Pontificis dispensationem esse licitam, excepto gradu Consanguinitatis primariò, in lineâ tam rectâ quam transversâ, & primò gradu Affinitatis in lineâ rectâ. Bellarm. *de Matrim. c. 27.* Gregor. de Valentia, *Tom. 4. Disp. 10. qu. 5. punct. 3.* & Lorin. *in c. 18. Levit.* Cui sententiæ accedit adhuc Consil. Trident. ita disponens: *Si quis dixerit, Ecclesiam non posse in nonnullis gradibus consanguinitatis & affinitatis, qui Levitico exprimuntur, dispensare, anathema sit.* Attamen cum Pontifex in hoc passu non majorem acceperit potestatem, quam cæteri Imperantes ac Principes, eodemque modo, ut illi, in sorte humana constitutus sit; ita & his

his æquale idemque jus & potestas in dispensando competit, nec majorem potestatem, quam quâ reliqui Imperantes pollent, jure meritoque sibi hîc in re Pontifex adrogare potest.

§. IV.

Quamquam igitur verissimum sit, Leges divinas dispensatio- *Præmitti-*
ni minimè esse obnoxias, neminem quoque lateat, libertatem in- *tur divisio*
eundi matrimonia in quibusdam gradibus in Veteri Testamento *LL. divi-*
esse restrictam; gravis tamen de eò adhuc arduaque inter DD. *narum.*
vertitur quæstio, an hæc leges pro divinis indispensabilibus etiam-
num nostris temporibus repurandæ sint? Antequam autem diver-
sas has referamus sententiâs; præmittere lubet varias LL. Divina-
rum divisiones, ut secundum cujusvis tenorem & sensum dispensa-
tionis materiam dimetiri queamus. Disperscuntur autem illæ
Leges (1) in Naturales & (2) Positivas. Naturales subdividere
etiam solent in primævas & secundævas; Positivas autem in U-
niversales & Particulares, quæ ultimæ porro sunt vel Ceremonia-
les vel Forenses. Leges divinas Naturales appellantur illas, quas
cordibus hominum inscriptas sentimus, & quæ ex solâ ratio-
natione, sepositâ revelatione speciali, innotescunt; positivæ au-
tem vocantur illæ, quæ ex verbo Dei revelatò cognoscuntur; adeo-
que ex arbitriâ Dei voluntate proficiuntur. Has verò Leges
vel totum obligare genus humanum volunt; & Leges positivas
universales vocant; vel tantum Populi Judaici gratiâ esse consti-
tutas, quæ idèò Particulares nuncupantur. Illustrabimus nunc
etiam paulò penitius, quousque & in quantum singulæ illæ LL.
dispensationem admittunt.

§. V.

Jure Naturæ, quod omnibus gentibus commune est, & ex *Matrimo-*
solâ rationis dictamine fluit, matrimonia intes Ascendentes & *nia jure*
Descendentes solummodò damnantur, quia innatæ hominum *divinò Na-*
verecundiæ & naturali pudori tales commixtiones adversari na- *tur: probi-*
tura comprobant ipsa; quare certum est, si tales personæ prohibita *tur: probi-*
inter se coeant, eas incestum Juri Gentium (i. e. Juri Naturæ) ad- *bita inter*
versantem committere §. 1. J. de Nupt. l. ult. ff. de R. N. Puffend. J. Ascenden-
N. & G.

N. & G. l. 1. c. 1. §. 32. Grot. *J. B. & P. ll. 5. 12. 5.* maxime cum horror quidam naturalis à tali commixtione, ut Grot. loquitur, quædam animantia quoque bruta deterreat. Et facit huc illud magni alius J. C. Pauli, qui de servilibus cognationibus edisserens, vulgò quæstram filiam patrem naturalem non posse uxorem ducere, ait, hæc additâ ratione: *Quoniam in contrahendis matrimonii naturale jus & pudor inspiciendus est; contra pudorem autem est, filiam uxorem suam ducere l. 14. §. 2. ff. de R. N.* Alii dispartitatem ætatis, communionem sanguinis, debitum reverentiæ & alia iis similia obstare crediderunt, de quibus videtis Thomas. *Jurispr. divin. l. 3. c. 2. n. 220-274.* qui neque connubia parentum & liberorum Jure Naturali vetita esse existimat, *loc. cit.* quamvis aliam amplexus fuerit sententiam, in *Fundam. J. N. & G. L. III. c. 2. §. 37. & 38.*

§. VI.

Non æquè inter Collaterales & Affines. Non autem legis hujus naturalis prohibitione continentur matrimonia inter Collaterales & Affines, cæteraque ejus generis. *De his enim causas certas ac naturales qui dare voluerit, inquit Grotius l. 2. c. 5. §. 12. cur talia matrimonia, qua vel legibus vel moribus vetantur, illicita sint, experiendo discet, quam id fit difficile, imò præstari non possit.* Conf. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 19. n. 48.* Hahn. *ad Wesenb. de R. N. n. 4.* Richter. *Vol. 2. c. 15. n. 29.* Puffend. *de J. N. & G. l. 6. c. 1. §. 34.* Hier. Bruckner. *Decis. matrim. c. 5. n. 6. seqq.* Necessarium igitur est, ut videamus, an & quo jure eiusmodi matrimonia prohibita sint, cum à plerisque DD. pro illicitis reputentur.

§. VII.

Id quod ulterius deducitur. Juri Naturæ igitur ejusmodi connubia esse contraria, nemo est, ut credo, qui asserere audebit, cum aliàs istud absurdum evitari non posset, genus humanum initio per plures nefandos incestus multiplicatum fuisse. Notum quippe est, ac sacra testantur oracula, genus humanum per matrimonia fratrum atque fororum unicè esse propagatum. Cum autem Deus juberet propagari genus humanum, nec plures simul fœminas condidisset, satis intelligitur

intelligitur, hanc fuisse ipsius voluntatem, ut fratri ex sorore sobo-
lem tollere fas esset; ut ait Theodor. Beza, *Tr. de Divort. & Repud.*
p. 38. add. Selden. *de l. N. & G. juxta discipl. Hebreor. l. 5. c. 8.* Quin
exemplo quoque Abrahami, Patriarchæ Deo minimè invisè, edo-
cemur, ejusmodi conjugia inter fratres & sorores non esse ince-
stuosa, dum sororem suam consanguineam sibi junxit. *Genes. 20.*
v. 12. quam certè non duxisset, si juri Naturali & rectæ rationi
id inconveniens judicasset. Impossibile enim fuisset, ipsam in ta-
li matrimonio viventem Deum habere propitium, nec ex posteris
filii in ejusmodi matrimonio suscepti Salvatorem mundi procrea-
tum iri concessisset. Quod igitur à Deo semel concessum, illud ut juri
Naturæ adverteretur impossibile est. Grot. *J. B. & P. l. 1. c. 1. s. 10. n. c.*
§. 17. n. 2. Joh. Adam. Osiand. *in Comm. ad §. 11. d. 1.* Hæc de causâ
moti nonnulli Pontificiorum Theologi Pontificem Romanum,
jastâ concurrente causa, in tali casu dispensare posse adseruerunt. vid.
Basil. Pont. *Tr. de Matrim. l. 7. c. 32. n. 14.* Hurtad. *de Matrim.*
Disput. 7. difficult. 5. v. 12. quos secutes Diana, *Resolut. moral. p. 4.*
tr. 4. res. 9. Colligitur inde firmissimè, quod, quia matrimonium
in primo hoc gradu juri Naturali non adverteretur, neque in reliquis
ulterioribus gradibus matrimonia per LL. Naturales ire in vetita.

§. IIX.

Pergamus nunc etiam ad *ius positivum*, quod, ut diximus,
dividitur in *Universale & Particulare*, quorum illud definiunt, *Quid Jus*
quod sit iustus divinus omnibus hominibus, vel illis, qui ab initio *re divino*
totum humanum genus repræsentarunt, super iis rebus, quæ ex ra- *positivo*
tione cognosci nequeunt, à Deo publicatus, obligans eos, ut *obvineat?*
secundum istum iustum actiones suas instituunt. Quare tria hujus
juris requisita proponere solent (1) ut sacra scriptura indicet, actum
aliquem esse præceptum vel prohibitum (2) ut illud indicium ex fa-
nâ ratione cognosci nequeat (3) ut simul exprimatur, talem legem
ad omnes homines pertinere. De Criteriis cognoscendi Leges
universales consuli potest Dn. Thomas. *Jurispr. Divin. L. 1. c. 4. n.*
79. qui postea tamen (1). benè, an tecus alii judicent, aliam de hæc
re amplexus est opinionem, & multa DD. Scholasticos ad interesse
Cleri

Clari Papalis stabilendum retulisse ad LL. morales, ait, qua tantum Populum Judaicum per modum Legum obligarunt; uti videre est ex *Cap. proem. ad Fundament. J. N. & G. §. 13. seqq.* Neminem quoque hactenus reperiri potuisse, eodem contendit locò, qui Legis hujus Universalis Positivi essentiam & naturam satis exposuerit.

§. IX.

Qu. An jus istud verè positivum sit, & quidem universale, an verò potius Naturale?

Ad propositum autem nostrum ut propius accedamus, cardo controversiæ in eo verti videtur, an sc. & quatenus capita illa *Levit. 18. & 20.* quoad Conjugiorum Gradus inibi prohibitos pro lege positivâ, & quidem Universalî, an vero potius pro Naturali habenda ac reputanda sint? Rationes pro affirmativâ, quas posterioris sententiæ Patroni afferunt, primo examinabimus loco. Primum itaque hujus suæ intentionis fundamentum depromunt ex verbis illis, quibus summum Numen usus est, in *Levit. c. 18. v. 3.* ubi gradus illos matrimoniorum prohibitos Deum nomine operum *Aegyptiorum & Cananeorum* insignivisse credunt, qui omnibus istiusmodi contaminationibus sese contaminaverint, & ita inde colligunt: Si *Aegyptii & Cananæi* in gradibus hiis illicitis nubendo sese inquinaverunt, utique exinde sequitur, hanc legis rationem esse universalem, non forensam quia non *Judæos* modo stringat, sed & *Cananæos*, quos Deus propterea è terra ejicere minatur. Et hoc magis adhuc cerni posse putant ex *Cap. X. 24. & 27.* ubi luculenter exstat: *Ne polluere vos ulla harum rerum &c.; omnes istas abominaciones fecerunt homines istius terre qua vobis exposita est; unde polluta est terra.* Pergunt & allegant *v. 6.* ubi Deus prohibet, ne quis ad reliquias carnis suæ accedat ad denudandam nuditatem. Iterum pro corroborandâ suâ sententiâ adducunt *Cap. Levit. 20. v. 7. & 8.* ubi Deus *Israëlitis* præcepit, ut se sanctificent & sancti sint, quia, ut ipse rationem addit, *Ego sum Jehova, Deus vester & Sanctificator.* Unde concludunt, universalitatem hujus præcepti sole clarius elucescere, quia omnia mandata, sanctitatem divinam præferentia, universalialia sint & naturalia. Tandem quoque allegant *Cap. Levit. 20. v. 17.* ubi Deus matrimonii fratrum & sororum

Probrè

Probrî nomen tribuit, & se te eiusmodi matrimonii polluentes
extirpatione multare minatur. Hinc certitudinem Universalis,
 & quidem ex Jure Naturæ prohibitionis sat clarè patescere per-
 hibent. Quæ enim lex, ajunt, Gentes obligare potuit, nisi natu-
 ralis omnibus omninò hominibus & Gentibus data? Non Fo-
 rensis aut Ceremonialis, quæ ad ipsas non pertinet.

§. X.

Adductis eorum argumentis, qui Universalitatem horum *Solvuntur*
 duorum capitum ex solo Jure Naturæ demonstrare satagunt; *eorum du-*
 transeamus nunc ad responsiones, quas illis rationibus opponi *bia, qui L.*
 posse putamus, ut ita in utramque partem disputando eliciatur *Leviticus*
 & exprimatur id, quod verum est. Ad primum autem argumen- *simplici-*
 tum ita respondeo: Deus, ajunt, in *Cap. Levit. 18. comm. 3.* opera *t r pro*
 Egyptiorum & Cananæorum asperioribus perstringit verbis. Non *Naturali-*
 autem puto, hoc intelligendum esse de prohibitis illis matrimo- *Naturali-*
 niorum gradibus, cum eorum in versu adducto ne quidem facta *bus ven-*
 sit mentio. Extat enim ibidem: *Non imitemini opera & mores*
Egyptiorum, regionisque illius, in quâ commorati estis; nec fa-
ciatis secundum Opera terra Canaan, in quam vos adducam, sed
secundum mea præcepta facietis &c. Quibus Deus populum suum
 ab operibus & consuetudinibus harum Gentium abducere, & suis
 imbuere præceptis intendit, non autem eò referre voluit istas ma-
 trimoniorum prohibitiones. Nam alia illæ Gentes patrarunt,
 abominandam præcipuè idololatriam, item dirum scelus, quò
 liberos suos Molecho sacrificarunt, & atrocissimâ Sodomîâ se-
 te inquinaverunt. *Comn. 21. seqq.* quæ Juri Naturæ omninò contra-
 ria, proptereaque Deo maximè invisa erant. Et hæcce sat &issi-
 mum Numen reprehendit, Populumque suum ab iis dehortatus
 est.

§. XI.

Sufficienter puto hætenus probatum fuisse, Leges patri- *Eorum ra-*
 moniales in Levitico publicatas ad Naturale Jus omnes non esse *tiones ex-*
 referendas. Jam videamus, an ad *Jus* quoddam *divinum fo-*
 sitivum, & quidem *universale* eadem spectent? Et, ut de prio- *pendun-*
 ri

C

ri

*tur, qui
pro iure
positivo u-
niversali
pugnant.*

ri quidem dubium non est; siquidem, quod non est Naturale, ad Positivorum censum merito pertinet; ita tamen de posteriore non una omnium est sententia. Qui pro universalitate pronuntiant, speciosis sane argumentis non destituuntur. Dicunt enim inter alia; rationi minus convenire, ut Genti cuidam aliquid factum in delictum impuretur, quod ipsi nulla interdictum fuit lege. Jam igitur dum lege Naturali non vetitos fuisse vidimus omnes præmemoratos matrimoniorum gradus, necessario inde sequi, positivam aliquam, eaque Universalis Lege Judaicam & alias Gentes fuisse obligatas. Verum hoc nullo niti fundamento ex eo evincitur, quod nulli Populo nisi Judæis lex ista lata dici possit. *Nam ex omnibus Populis unus est, cui peculiariter Deus iura dare dignatus est, populus sc. Hebraeus, inquit Magnus ille Grot. de I. B. & P. l. 1. c. 1. §. 15. n. 1. seq.* Quamvis ejus verba non facile conciliari possit: videantur cum sententia, quam *Lib. 11. c. 5. §. 13. n. 2.* proposuit. Edisserens enim ibidem de Gradibus in *Cap. Levit. 18.* prohibitis ita loquitur: *Nam si Cananæ eorumque Vicini peccarunt talia faciendo, omnino sequitur, ut lex aliqua præcesserit, qua cum mera naturalis non sit, restat ut à Deo data sit, aut ipsis peculiariter (quod non est verisimile, nec satis ferunt verba) aut humano generi, sive in primâ constitutione, sive in reparatione post diluvium. &c.* Hic igitur sui oblitus, in illorum castra transit, qui leges in hoc cap. 18. promulgatas, connubiales universales esse statuunt, & ne quidem *morales* commodè dici posse putant, cum quoad intrinsecam moralitatem solæ Naturæ leges propriè *morales* sint; in lato autem sensu LL. omnes cujuscunque conditionis, utpote Entia moralia, *morales* dici debent. Quicquid autem senserit Grotius, nostrâ parum interest, qui jam antea probavimus, exordium legis Mosaicæ in dicto capite non leges connubiales, sed alia Gentium contra ipsam Naturæ jus admissa horrenda crimina respicere. Id quod clarius exinde patet, quia demum in fine huius capituli increpationes de commissis abominationibus & pollutionibus adhibitæ sunt, ut inde in aprico sit, maledictiones & comminationes subiectas respicere tantum delicta proximè præ-

præcedentia, versibus 20, 21. 22. & 23. recensita, & abominatio-
nes, quibus se Gentes inquinaverunt, jure meritoque appellata,
id quod etiam ex verbis relativis clarissimè perspicitur, ita sonan-
tibus: *Omnes istas abominationes fecerunt homines istius terræ &c.*
Unde satis constat, verba illa ad matrimoniorum gradus in isto
capite prohibitos referri non posse, vid. Grot. *de J. B. & P. P. II.*
cap. 5. 14. 2. Quin tamen etiam concedere velimus, prohi-
bita ibi conjugia delictorum & abominationum nomine venire,
tamen ex eo ad universalitatem hujus legis firmiter concludi non
posse videtur, cum etiam peccatis contra leges Ceremoniales &
Forenses idem nomen aliquando tribuatur, uti apparet *ex Levit.*
c. 7. v. 18. & 9. v. 10. Deuter. c. 17. v. 1. Esaiæ c. 65. v. 4. & 66. v. 17.
Collimat huc sententia Bruckneri, *Decis. matrim. c. 5. n. 45.* ita
inquentis: *Si eas tantum leges, sc. matrimoniales, transgressi es-
sent Aegyptii, non magis Deus eas expulisset, quam v. g. liberos
Adami propter conjugia fratrum cum sororibus.* Conferri etiam pot-
est Stryck. *Dissert. de Dissens. sponsalite. sect. 5. n. 17.* quem in hâc
re habemus consentientem; dum ita inquit: *Dicitur, in omnibus
istis simul sumtis, se maculasse Gentes, idè, quod incestum in
lineâ descendente, adulterium & crimen Sodomiticum prohibitorum
casuum numero inseruerit Deus. Sed non dicitur, quod circa sin-
gulos casus seorsim se macularint, & si hoc quoq; dicendum esset,
adhuc tamen non sequitur, quod etiam propter singulos fuerint e-
jectæ.*

§. XII.

Sed, quæso, an non ratio prohibitionis in Sacro Textu Le-
gibus connubialibus addita, universalitatem indicat, quando *An Uni-*
plerorumque nuptiæ idè prohibentur, quia sunt caro alterius car- *versalitas*
nis, ad quam accedere non liceat; eamque rationem æquè apud *prohibi-*
alias Gentes ac apud Ebræos obtinere evidens est? Verum enim *tionis ex*
verò & hæc verba ad universalitatem nihil proficere contendunt, *phrasi: Est*
qui eam negant. Per ea enim tantum commixtiones Parentum *caro car-*
& liberorum prohiberi assentunt, quas & in primâ institutione & *nis, peten-*
Jure Naturali à Deo prohibitas invenimus. Filiâ quippe à carne suâ *da?*
progenita

progenitâ, proximiorē patet non habet; quare Deus etiā ab illa prohibitionē, Levitici caput 18, orditus est. Quāvis enīm poneretur, verbis: *Caro carnis suæ*, etiā collaterales comprehendī, non tamen extendi posse ultra illos, qui proximius ex sanguine nostro originem ducunt, aut nobiscum ex unâ carne propagati sunt. Imò, quāvis eadem apud omnes Gentes carnis cum carne sua sit propinquitas, aded tamen non sequi, ut carnium talium conjunctionem veritam esse in universum Gentes omnes sciant. vid. Mich. Haveman, *Giamol. synopt. l. 2. Tit. 5. posit. 7. reg. 1.* Bruckner. *Decis. matrim. c. 5. n. 42.* Chemnit. *Loc. de Conjug. c. 3. p. 224.*

§. XIII.

An ex sanctitate Dei?

Porro nec argumentum, quod à sanctitate divinâ ulterius depromitur, pro obligatione universali, vel intrinsecâ moralitate quidquam obtineri dicunt, qui negativam tenent, provocantes ad Levit. cap. II. v. 44. in quo loco Divina Majestas prohibet, ne se polluant Israelitæ aut inquinaent ullo reptili, quod reprat supra terram, & etiā hanc addit rationem; *quia Ego sum Jehova Deus vester, ut sanctificetis vos, & sitis sancti, quia Ego sanctus sum.* Hanc igitur legem hinc præsuppositis etiā universalem dicendam esse sequeretur, si criterium illud à sanctitate divinâ desumptum, pro vero & legitimo universalitatis indicio venditare liceret; cum etiā, ut vidimus, leges Forenses sanctitatem divinam loco fundamenti ac munimenti contra transgressores adducant.

§. XIV.

An ex comminatione mortis?

Argumentum, quod à pœnâ mortis petitur ex *Levit. cap. 20. v. 17.* etiā facile eodemque modo retelli posse putant, & quidem ex *Levit. cap. 7. v. 17. & 17. v. 10.* Ibi enim pœna mortis & extirpatio illi dicitur, qui sanguinem comederit; cum tamen propterea legis forma non mutetur, aut lex Ceremonialis in Universalem transformetur.

§. XV.

§. XV.

Et dum tandem defensores legis universalis ad dicta *Matth. 14. v. 4. 1. ad Corinth. 5. v. 2.* provocant & hanc inde formant conclusionem; *Si ille ipsa res, qua Levit. 18. vetita reperiuntur, deinde in Novo Testamento in vetitum eunt, sequitur eo ipso, prohibitions illas non tantum ad Gentem Iudaicam, sed & ad ceteras quoque in N. pertinuisse, nosque Christianos hodiernum valide stringere.* Non J. repeti-
*deest quod regerant adversæ sententiæ Patroni; scilicet, quam thesis illa, talvâ applicatione ad hanc hypothesein, concedi possit; tamen, si applicatio ad substratam fiat materiam, nequicquam his in locis aliquid de prohibitione in Levit. c. 18. factâ, in venire. Quod enim locum atinet Matth. 14. v. 4. eum ab altero loco Levit. 18. ut æra lupinis distare satagunt. In hoc enim sermonem esse de fratris defuncti uxore; in illo autem de fratris adhuc viventis uxore non ducendâ, si quidem eo tempore cum Herodes fratris Philippi uxorem sibi sumferat, hunc adhuc in vivis fuisse; idque probant ex Wichmanni *Chronol. sacr. & Chemnitii Harmon.* qui p. 828. scribit: *Christum, post Johannis decapitationem, in terram Philippi qui moderatoris erat ingenii, scil. in Galileam aufse.* Hoc autem delictum, cum quis fratris adhuc superstitis uxorem sibi jungit, non tam turpitudinem ex hoc contrahere, quod quis fratris uxorem ducat, quam potissimum ex eo, quod quis viventis adhuc fratris uxorem sibi thori fociam adsumat. Aliâ enim non solum fratris uxorem, fratre mortuo, in Veteri Testamento ducere licuisse, sed etiam certo in casu à Deo id præceptum fuisse neminem latere.*

§. XVI.

His igitur similibusque aliis rationibus moti, quam plures *Ista LL. Viri docti, imo integra Collegia Theologica pariter atque Juridica in eam descendunt sententiam, non universalem aliquam, quæ omnes homines stringat, sed particularem tantum & solum Populum Iudaicum concernentem obligationem in dictis LL. contineri, ejusque vim, nisi quatenus Ecclesiæ eas boni ordinis & decori causa retinuerunt, cum Judaicâ Rep. expiravisse. Cui sententiæ cal-*
Mosaica connubiales pro Iudaicis Forensi-
 culum

bus à non nullis habentur. culum adieciſſe videtur Philipp. Melanchthon, in Conſilio Henrico VIII. Regi Angliæ dato, ita ſcribens: *Lex Moſis illa nos non obligat propter autoritatem ſuam, ſed quando præcepit quedam Natura conſentanea, & non pertinet ad Chriſtianos magis, quam ad eos, qui fuerunt ante Moſen, nec quicquam ex lege Moſis neceſſarium eſt ad ſalutem, quod non neceſſarium fuit ante Moſen.* Extat hoc inter Conſilia Philippi à Chriſtoph. Pezelio die 23. Aug. 1531. edita P. 1. p. 228. Jungit ſe huic Duarenus, in Conſult. ſuper matrim. d. Regis ita inquires: *Nos legi Moſaica non ſubiſcimus tanquam divino ſuri, niſi quatenus præceptum aliquod Naturale continet.* Imò ipſius quoque Lutheri verba hac de re extant, in *Epiftoſa ad Paſtorem quendam data*, apud Bruckner. *Deciſ. matrim. c. 6.* ubi legem Moſis in Eccleſiam reduci ſe diſſuaſiſſe ait, ſtatuitque, noſtræ Politicæ legibus utendum eſſe, niſi ubi calus neceſſitatis, pro conſolatione conſcientiarum è lege, ſed ut exemplum ex hiftoriâ, petere cogat.

ſ. XVII.

An divina prohibitio ad ſolas perſonas expreſſas reſtrin- genda?

Alia non minus vexata controverſia hic occurrit, ea videlicet: *Utrum divina prohibitio ad ſolas Perſonas Lege Moſaica expreſſas ſit reſtringenda, an verò extendenda ad eas, que quidem non nominata, ſed propter rationis identitatem, ſub aliis comprehenſe intelliguntur?* Ultra igitur harum ſententiarum alteri prævalere videatur brevibus adhuc dicemus. Supputatio graduum ſine dubio eſt inventum Juris Civilis & Canonici, proindeque ad Jus Divinum trahenda eſſe non videtur. Et illius quidem inventionis cauſæ fuerunt præcipuè ſucceſſiones ab inteſtato; ſed Canoniciſtæ Civilis Juris DD. imitantes in cauſis matrimonialibus aliam finxerunt graduum computationem, probè videntes, magnum exinde lucrum ad Papani perventurum. Per hanc enim primatum Pontificis magis magisque ſupra Principes ſeculares ſtabiliverunt, iſtis perſuadentes, ſive Pontificis diſpenſatione multa matrimonia contrahi non poſſe, & hanc contempnentes, aut ſpernentes, Pontificis excommunicationi, aut alii ſubjacere pœnæ. Papa poſtea has leges fixit pretioque reſixit, Quare Marc. Anton, de Dominis, *de Rep. Eccleſ. l. 5. ſ. 11.*

n. 79. in hæc erumpit verba: *Non alia de causâ Romani Pontificis usque ad quartum gradum prohibitiones has extenderunt, nisi ut frequentes essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in eam Curiam confluit. Et assignata sunt in Cancellariâ pro singulis remotioribus gradibus pretia. Nam propinquiores compositiones facere debent sanè ingentes, ubi præsertim conjuges vel divites sunt, vel Magnates vel Principes. Et hoc procul dubio facit ut leges Ecclesiasticæ, talium nuptiarum prohibitive, sint prorsus injuste ac nulla. Non enim honestatem & decentiam respiciunt, aut in re ipsa æquitatem; sed solum proprium lucrum. Nemo enim est, cui tales dispensationes negentur, sed quotquot eas petunt, tot eas accipiunt, solo pretio exhibitio, imò ne à Pâpa quidem postulantur, sed prostant in publico officio cuiuscunque accedenti venales &c.* Justissima igitur est querela Espenecæi, Theologi cuiusdam Parisiensis: Quod multa positivo tantum jure præcepta vel prohibita, eosque ligent homines, donec pecuniâ sibi harum rerum gratiam impetrent, ita ut Regina rerum Pecunia divitibus licitum faciat, quod pauperibus illicitum est, quia divitias non habent. *in Epist. ad Tit. c. 1.*

§. XVIII.

Qui vero extensioni Personarum expressarum ad non expressas favent, provocant, ut modo dictum, ad vulgatum istud: *An verò ubi eadem est legis ratio, ibi eadem quoque est Juris dispositio.* Præsertim autem illam hic locum habere ex absurdo deducunt, dum indè alias sequeretur, licitum etiam esse patri, ducere filiam, ac matri, nubere filio; vel nepoti ducere aviam &c. quia harum personarum conjunctio hoc ordine expressè non sit interdicta. At propugnatores alterius sententiæ, his utuntur argumentis. (1) Quod præter personas in cap. 18. expressas, aliæ in seq. cap. 20., ubi prohibitio repetitur, non superadditæ inveniantur. (2) Si Deus sub prohibitione ista similitudinem personarum comprehendi voluisset, certè vel non duabus vicibus easdem personas repetisset, vel ejusdem gradus saltem personas indicasset, siquidem, istis nominatis, ex jactatâ analogiâ pronum fuisset, ad cæteras quoque argumentum porrigere. Duorum autem interdum matrimonio-
rum

propter indentitatem rationis extensionis ad non expressas.

rum in paritate graduum convenientium mentionem fieri legimus *Cap. Levit. 18. v. 12. & 13. & Cap. 20. v. 19.* ubi (c. mentio fit amitræ & matereræ. (3) Addunt, quod Leges prohibentes sint odiosæ, proptereaque potius restringendæ, quam ampliandæ, secund. *Respons. Helmstad. apud Drolemar, Dissert. ad Prac. Decalog. non machaberis n. 8.* (4.) Quod in sacris literis nullum de computatione graduum inveniatur vestigium, uti demonstrat Bruckner. *Decif. matrim. c. 6. §. 7.* Ad maiorem probationis evidentiam in testem vocant Richterum *Cons. 18. n. 34.* ubi scribit: *Mosen per numerationem personarum prohibitarum monstrasse, quibus liccat contrahere matrimonium vel non; tacite etiam iisdem innuere, personas omnes reliquas non expressè prohibitas, matrimonium contrahere posse.* Lutherum quoque hâc in materiâ communiter allegare solent in libr. *Vom Ehelichen Leben. Part. 1. §. Die erste Ursach ist die Blutsfreundschaft Tom. 2. Altenb. p. 210.* ita loquentem: *Deus non computat secundum gradus, quemadmodum ꝑ Cui, sed numerat tantum personas, alias, cum fratris filia & amita in pari gradu sint, dicendum esset, quod vel fratris filiam non ducere, aut etiam amitam meam ducere possem.* Quanquam verò Lutherum sententiam postea hâc de re aliam apprehendisse, in *Libello von Ehesachen p. 2. sub rubr. von der Sippschaft Tom 5. Altenb. p. 391.* nonnulli asserunt, reverà tamen id factum non esse prolixius ostendere voluit Bruckner. *l. c. §. 3.* qui etiam plura argumenta ad hanc materiâ facientia ibidem proponit.

§. XIII.

Mea, Auctoris dissertatio- nis sententia, modeste proponitur.

Recensui hæc sententia circa Leges Mosaicæ Connubiales variè dissentientium. Meum equidem non est, in causâ tam arduâ, & ubi utrinque Viri celebres inter se discordant, in quibus quoque est Antecessor hujus Ludovicianæ & Patronus æstumatissimus, qui pro sanctione Dei positivâ Universalî decidit, & Illustr. Dn. Thomasi dubiis respondit, Excell. Dn. Imman. Weberus, in *Dissert. de LL. divinæ positionis universalibus*, lites eas componere, cum nec mearum id virium sit, nec meta dissertationi Academicæ posita permittat, ut rationes in utramque partem

partem propositæ prolixius expendantur. Quod si tamen mentem meam, quam in conflictu publico, datâ occasione, uberius declarabo, expromere licet, eò illa redit, quam non nisi cum modestiæ præfamine prolatam velim. Puto distinguendum esse, utrum prohibitio earum, quarum fit mentio, personarum aliquid in se contineat, quod ad intrinsecam turpitudinem quodammodo referri possit; an vero nullum talis turpitudinis vestigium planè adpareat. Potest enim utique fieri, ut, quod naturæ oculus non videt, tamen in sanctissimis Dei oculis pro turpi habeatur; quo referri possunt prohibitiones earum personarum inter quas Parentum & liberorum res spectus intercedit, unde prohibitionis universalitas concedenda, eaq; positiva; dum sola ratio sibi relicta eo pertingere non potest, adeòque eæ Leges pro forensi Judæorum jure non habendæ, præsertim cum ad Jus Naturale quam proximè accedant, Sanctissimumque Numen in Populo suo, quem castum & sanctum voluit, talia matrimonia tanquam rem illicitam nefariam & impuritatem exterminandam notavit. Quod autem ad illam sententiam attinet, quâ à Personis expressis, propter rationis paritatem extendi volunt leges ad Personas similes non expressas, illam extensionem non omninò quidem negaverim, ubi paritatis ratio manifesta est; non tamen, maxime in Affinitatibus, nimis latè istam analogiam porrigendam censeo, ne vincula conscientis præter necessitatem & apertam Dei voluntatem injiciantur. Conf. Struv. *Jurispr. Romano-German. L. 2. Tit. 6. §. 17. circ. fin.*

§. XX.

Unde jam de dispensandi potestate judicium formari poterit. Unde de Uti enim dubium non est, quin Imperii Status Evangelici in Gradibus humano jure prohibitis & Ecclesiasticis ordinationibus vetitis, dispensare possint: ita de LL. Mosaicis juxta præmissa distatè pronuntiandum. Nimirum, si quibus in casibus, quod rationes à Deo Legibus expressè additæ, sc. à carnis identitate & sanguinis propinquitate desunt, propterea que intrinsecam turpitudinem, licet soli rationi non evidentè perpicendam, continentes adpareat, conjunctionesq; eas Sanctissimo Numini displicere,

D

cere,

cere, & idem universaliter prohibitas voluisse evidens sit, suæ dispensationi non esse locum facillè admittent summi etiam **Legislatores**. Quod idem dictum velim de Mosaicæ Nomothesiæ extensione, ubi paritatis ratio proxima est, & in proptulato; In cæteris verò puto aliter sentiendum. Quamvis iudicium meum suspendam, & de specialibus casibus in cathedrâ, si fors ita tulerit, mentem meam uberius exponam. Ubi tamen monendum est, cautè debere Principes in dispensando procedere, Virosque doctos ac pios in consilium adhibere, ut facti sui solidas habeant rationes, & ex certo iudicio, non ex probabili conscientia, ad dispensandum provolent, quò admissò sanè & sibi & Imperantibus non possent non malè consulere, & nimia gratiæ huius facilitate, quæ in dubiis, iisque casibus, ubi subditi facillè alias nubendi occasiones habere possunt, studiosè evitanda scandala diversæ religionis affectis præbere. Quapropter Magistratus Christiani re integrâ merito à Dispensatione plane abstinent, nisi rationes prægnantissimæ eam suadeant, cum alias uni indulgendo ad prolapsionis contagium provocentur universi, *c. est inhib. X. de Cohab. Cler. & mul.* Hinc, secundum Justiniani effatum, hic quoque applicatum, tales personæ dispensationem quærentes, monendæ sunt, *ut discant castè vivere, & intra terminos à Deo præscriptos se continere, non autem delectari & amare ultra terminum populo suo traditum à Deo. Nov. 21. c. 1.*



CAPUT III.

DE

JURE DISPENSANDI IN TESTAMENTIS.

§. I.

Princeps **L**eges Civiles ac humanas uti Princeps ex certò iudiciò figere ac
circa T. sta. refigere potest, ita quoq; potest aliquando pro lubitu in iisdem
dispen-

dispensare, ex vi sc. summi, quod tenet, imperii. Intèr alia autem illud jus effectum suum quoque sortitur in Testamentis. *mentaliciti dispensat.* Testamentum definitur quod sit ultima voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quid post mortem suam fieri vult. *l. i. ff. de Testam.*

§. II.

Testamenta dispensationi Principis in certis casibus subesse, nemo fortè dubitaverit, ita ut solennitates alias adhibendas, remittere possit, dummodo non tendat illa remissio ad id quod tertii præjudicium continet, utpote cujus Juri Princeps non præjudicare cenetur, nisi ex magnâ & urgenti causâ. *Zaf. ad Tit. ff. de Constit. Princ.* Imperatori enim moris non est, in cujusquam injuriam beneficium tribuere, ait ICtus, *in l. 4. C. de Emancip. Liber.* Unde nec Princeps ex plenitudine potestatis jus quæsitum hæredi ex Testamento auferre potest. *Mev. Conf. 4. n. 60. Gail. l. 1. Obs. 14. n. 7.* Fieri igitur dispensationem in latiore significatu censendum est, quando Princeps permittit, ut quis ipsi supremæ suæ voluntatis scriptum offerat, quo casu Testamentum valet, etiam omnibus aliis solennitatibus destitutum. Imo talis solennitas, quæ Principi per libellum supplicem offertur Testamentum, omnes solennitates superat. *Brunnem. ad. d. l. 19.* quia superfluum est privatum testimonium, ubi publica monumenta sufficiunt *l. 31. C. de Donat. Rationem hujus remissionis & dispensationis Rhetz Jur. Publ. l. 2. Tit. 34. §. 1.* ponit in eo, quod princeps tot plerumque stipatus sit Consiliariis & aliis, quot testes ad solenne Testamentum aliàs non requiruntur.

Princeps in Testamentis dispensat; Quando Testamentum ipsi offertur.

§. III.

Quæritur autem hoc loco: *an Princeps dispensare possit, quando essentialia simpliciter talia in Testamentis omissa sint, aut Testamentum ratione voluntatis imperfectum existat, ut illud nihilominus firmum stabileque maneat?* Et *re.* Quod non, quia Princeps essentialia ea supplere non potest, quæ juris Naturæ sunt, & requiruntur ad substantiam actus; v. g. liberorum aut hæredis institutionem. Hoc enim in casu si Princeps dispensationem interponeret, auferret

Qu. An Princeps essentialia Testamenti dispensare possit?

eò ipso jus, liberis aut hæredibus quaesitum, quod tamen à potestate Imperantium alienum esse censetur. Conf. Rhetz. *Inst. Jur. publ. L. 2. Tit. 42. §. 2.* Wilh. Ant. Ertl. *de Jur. Prin. Exercit. 32.* Pertinet etiam huc quaestio quam Brunnem. in *Cod. ad leg. 10. in Tit. de Testam.* proponit, an sc. Testatoris voluntatem, qui instituit filios, & disertè exclusit illegitimè natos, Princeps, hos legitimando, Testatoris dispositionem evetere possit; & rectè negando responderet, quia Rescripta contra Testamenta impetrata nil valent, prætereaque libera Jure Gentium testandi facultas data est. Covarruv. *l. 3. Resol. c. 6. n. 7.* Steph. Fagunderz. *de l. & l. l. 6. c. 1. n. 10.* seq. cui Princeps derogare non potest.

§. IV.

An & quatenus circa personam Testatoris si persona ad testandum habilis sit. dispensare possit?

Jam verò nihil est, quod hominibus magis debeat, quam ut supremæ eorum voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, ait, Constant: in *l. 1. C. de SS. Eccles. & de reb. & priv. ear.* Klock *Conf. 42. n. 323. Vol. 2.* quod tamen rectè ita intelligitur, Testatoris si persona ad testandum habilis sit. Nam quæ inhabilis est, per hanc legem non habilitatur. Clarin. *§. Testam. qu. 5. n. 2. & qu. 6. n. 2.* Tiraqu. *de Retract. consang. §. 1. gl. 7. n. 26.* Quapropter Jctus ab eo qui Testamentum facit, integritatem mentis, non corporis sanitatem exigendam esse ait, in *l. 2. ff. Qui Testam. fac. poss.* Idcirco mente captus à Testamenti factione excluditur *l. 27. eod. tit.* Queritur autem, an Princeps talem ad testamenti factionem admittere & Testamentum validum pronunciare possit. Quod in omnibus dispositionibus præsertim ultimarum voluntatum, præcipuè requiratur certitudo voluntatis, idque indubium est, & ipso Naturæ Jure pro forma essentiali cujusque ultimæ voluntatis reputatur. Quapropter etsi in Testamentis, uti supra dictum, solennia à Principibus remitti possint, fallit tamen id in eo casu, si defectus sit ratione voluntatis, quæ in mente capto maximè deficit & à Principe ut essentialia requisitum suppleri non potest. Nullus enim testamenti favor dari potest, ubi defectus adest in voluntate Nic. Boer. *Decis. 240. n. 11.* Card. de Luca, *Theatr. Verit. & Jur. sit.*

stit. Tr. de Testam. Disc. 14. n. 10. cum ultimæ voluntates summam
requirant animi deliberationem, & undique clara & indubitata
consistere debeant c. furiosorum 9. C. qui Testam. fac. poss. l. 40. de
K. l. Nov. 107. cap. 1. Inde igitur quam maximè apparet, illorum Te-
stamenta, qui defectu mentis laborant, Principis dispensatione
non convalidari.

§. V.

Pupillus verò seu impubes etsi regulariter testari prohibea-
tur per l. 4. §. 5. C. Qui Testam. fac. poss. Carpz. P. 2. Const. 6. def.
6. Reulner. de Testam. p. 2. c. 5. n. 22, tametsi tutoris autoritas
acceserit, cum ex proprio, non ex alieno iudicio Testamenta
procedere debent; Principis tamen permissione & dispensatione
testandi licentiam eum accipere posse, egregii DD. statuunt; quos
vid. ap. Stryck, de Caut. Testam. c. 3. §. 10. seqq. ubi in utramq; par-
tem disputantium argumenta examinat, ac tandem §. 12. iudicium
suum interponit. Conf. Dilect. de arte test. caut. 5. Theaur. De-
cis. 87. Barr. de Success. l. 1. Tit. 7. n. 10. Regulariter etiam mu-
& surdus simul, & à natura talis à testamenti factioe exclu-
ditur, secund. L. 10. C. qui Testam. fac. poss. A Principe tamen
testandi facultatem, dummodo adsint certissima explicandæ vo-
luntatis signa, adipisci potest. Vasq. de success. progress. l. 1. c. 1. n.
137. Job. Petr. Monet. de Commut. ult. volunt. c. 5. qu. 2. n. 102.
ad qu. 3. n. 124. Conf. laudatus Illustr. Stryck. l. c. c. 4. §. 28. seqq.
ubi distinctè rem explicat. Ad perpetuas operas damnatis eodem
modo testamenti factio interdicitur, quia deportatis æquiparan-
tur, & Jus Civile amittunt. Ad Principis tamen clemenciam con-
fugere, dispensationemque ab illo petere possunt. Stryck. de Caut. peras da-
m. c. §. 32. Sic etiam damnatorum ex perduellione Testamen-
tum, per restitutionem specialem à Principe factam, reconvalesce-
re, testatur Donell. l. 6. c. c. 16. Lit. R. & ibi Hillig. Ita quoque de
reliquis ejusdem generis prohibitionibus dicendum, in quibus
jus durum emendare solius est Principis l. 1. §. ult. C. de Legib.
quas hoc loco prolixius recensere supervacaneum esse existima-
mus, præsertim cum omnia in compendium redegerit laudatus
J. Crus Stryckius, ad quem me remittendo actum agere nolui.

An Pupil-
lus per
Principis
dispensa-
tionem ad
testandum
habilis
reddatur?
An mutus
& surdus
simul?
It. ad per-
petuas o-
peras da-
m. nati.
Damnati
ex perdu-
ellione.

Qu. an Princeps bona Ecclesiastica contra Fundatorum intentionem in alium usum convertere possit?

Annectere hic lubet duas adhuc quæstiones. *Primam, an se Principi liceat bona Ecclesiastica, non obstante fundatorum ultimâ, eaque serâ voluntate, quemadmodum ante Sacra reformatâ factum, ut expiationis gratiâ Ecclesiis & monasteriis multa destinata, propter urgentem necessitatem in alium convertere usum?* Et affirmando, si nempe cum damno irreparabili certâque perniciæ Reip. talismodi fundationes factæ fuerint. Thumm. de Bon. Eccles. qu. 5. Etsi enim id intentioni & voluntati fundatoris directæ contrariari videatur; tamen reverâ decisio nostra rectè sese habet, cum etiam illud sine quo Ecclesia consistere non potest, i. e. Rempublicam salvam esse, sine dubio velint fundatores. Notum quippè est juxta commune Philosophorum axioma, quod, qui vult finem, is media etiam ad finem ducentia voluisse censeatur. Sine Republica autem Ecclesiam existere non posse in propatulo est; quare & illam simul conservari voluisse; existimandi sunt piarum aliâs caularum fundatores; & intentioni eorum ex asse sanè satisfier, si bonis Ecclesiasticis in defectu aliorum, Respublica velut fulcris firmissimis, sustentetur. *Satius enim est salutem & Rempublicam conservare, quam ultimis ejusmodi voluntatibus, superstitiosè inbarendo, eadem & unam illa Ecclesiam casui exponere.* Stryck. Dissert. de Exsecrat. Testat.

§. VII.

Qu. An Principes solennibus iuris in Testamentis suis stare teneantur?

Altera quæstio, de qua diversæ extant Dd. sententiæ, est hæc, *an se Principes in suis Testamentis solennibus iuris Civili stare teneantur?* Perillust. Dr. Lynck. in Respons. 17. falsam dicit eorum opinionem, qui sentiunt, quod Status Imperii sint milites, quodque jure militari testentur, statusque Imperii, qua Status, ab observatione solennium Juris communis quoad ultimas voluntates immunes existant, id quod cum Klock. Rosenthal. & aliis pro re indubitata vendit. Quando verò Mylerum & Reinkingium de hæc materia consulimus, contrariam invenimus sententiam, hæc ratione fulcitam, quod voluntas Principis non indigeat aliquâ juris solennitate arg. l. pen. C. de donat.

nat. inter P. & U. Lexque Imperii, solemnibus Juris Imperatores
 solvat l. 3. C. de Test. quod ad alios Reges absolutos & Jura Principum
 habentes extenderunt Dec. Conf. 516. n. 3. & 4. Cornæus,
 Conf. 200. Vol. 1. ad quem etiam modum Testamentum Caroli Au-
 striaci, omnibus testibus destitutum, pro valido & legitimo ju-
 dicatum fuisse à Facultate juridicâ Tubingensi, ex Besoldi Con-
 sil. Tubing. 150. n. 24. refert Myler, de Statib. Imp. P. 1. c. 26. Et
 hoc quidem fortassis non sine ratione. Ablonum enim & malè
 coherere videtur, Principem solemnibus Juris Civilis in Testamen-
 tis subditos solvere posse, & tamen in proprio Testamenti factio-
 ne illis alligatum esse, quapropter & huic ultimæ sententiæ cal-
 culum adiciunt Zas. ad l. Princeps n. 3. ff. de Legat. Gail 1. Obs 42.
 n. 1. & 2. & Obs. 67. n. 6. Paurmeist. de Jurisd. l. 1. c. 5. n. 42. quia,
 quod fit coram Principe, toto jure teste fieri intelligitur. l. Omni-
 um C. de Testam. Reink. L. 1. cl. 3. c. 12. Quanquam enim nihil
 tam proprium Imperio sit, quam Legibus vivere, ut in l. 3. C.
 de Testam. expressè dicitur, & dignam vocem Majestate regnan-
 tis appellet JCrus, in l. 4. C. de Legib. Legibus se alligatum Prin-
 cipem proficere, nihilominus tamen à solemnibus Juris omnimo-
 do Principem exceptum dicit Wurm. Exercit. Jur. publ. 3. qu. I.
 Conf. Brunnem. ad l. 6. & 7. ff. qui Testam. fac. poss. cum illud sit
 voluntatis, non necessitatis, ut se solemnibus Juris Civilis adstrin-
 gat Princeps; per notissima juris præcepta. Si quid tamen mei
 in hac causa est iudicii, iis subscribendum puto, teneri Imperii
 nostri Principes atque Status, ut communi jure testentur, quod
 cum mutuo consensu semel receperint, atque consenserint, ut in
 summis Imperii Tribunalibus, secundum illud controversiæ illo-
 rum dijudicentur, Recess. Imp. de A. 1555. p. 1. tit. 57. Ordin. Judic.
 Aulic. tit. 7. indè se ipsos iterum nexu istius juris eximere neque-
 unt, Conf. Magnif. hujus Ludovicianæ Rectoris & Promotoris
 mei honoratissimi. Dn. MELCH. DETHM. GROLMANNI Dis-
 sert. de Epistola hominis ultima, Cap. 2. S. 4. seqq.

CAP.



CAPUT IV.

DE JURE DISPENSANDI IN CONTRACTIBUS.

§. I.

*Principes
contra-
hentes a-
quæ obli-
gantur ac
privati.*

Quamquam in præced. capite nonnullos, qui Principem ab observant a Legum Civilium in Testamento condendo exemptum & solutam esse statuentes adduxi; fallit tamen illud vel maxime in contractibus, in quibus indubiè Princeps privatorum jure utitur. Bald. *in l. ex imperf. C. de Testam.* Quamvis enim Princeps non ligetur legis lege, tamen ligatur lege conventionis, & id hanc quidem ob causam, quod Princeps solutus tantum dicitur Legibus merè civilibus & politivis; lex autem conventionis & pacti est juris Gentium *l. 1. de Pact. & l. 5. de l. & l.* quo omninò obligatur, imò semper de Jure Gentium contrahere videtur. Bald. *in l. Digna vox. inf. C. de Legib.* Princeps enim non de Jure Gentium ut Princeps, sed ut homo consideratur, & ideo quòque ex promissione quam maximè obstringitur. Add. Ferd. Vasqu. *l. 1. contr. ill. c. 2. & 3. & c. 26 n. 16.* Bachov. in Treutl. *Vol. 1. Disp. 1. th. 6. lit. A. & B.* imò neminem inter mortales arctius obligari, quam Principem, inquit Brunnem. *ad L. Princeps. ff. de LL.* Quo major enim personæ fides, eò arctius obligationis vinculum; & eo magis Princeps suis stare tenetur promissis, quo verius est, aliàs neminem cum eo contracturum. Bald. *in l. 1. ff. de Constit. Princ.* Imò quia Princeps mutuae fidei vindex, ideo firmius arctiusque eum obligari convenit, Bodin. *de Rep. l. c. 8. p. 156.*

§. II.

§. II.

Et si verò Princeps propriis teneatur contractibus, nihilo- *Circum sub-*
 minus tamen facultate gaudet dispensandi in conventionibus in- *ditorum*
 ter alios celebratis; non quod Contractum ritè initum, ex quo *contra-*
 alter jus quaesitum habet, rescindere aut infringere valeat; hoc *ctus an*
 enim Principi minime permissum. Franc. Salgado, *Labyrinth. Cre-*
dit. P. 1. c. 38. n. 15. Franc. de Amaya. *ad L. 2. C. ne fisc. rem quam*
vend. evinc. n. 13. sed potest ratum habere Contractum ex defectu *dispensa-*
 solennium & modo celebrandi aliàs nullum; modo ille Contra- *re liceat*
 ctus nullum aliud essentiale contineat vitium aut injustitiam, quæ *Principi,*
 Contractum reddit invalidum. *et quate-*
nus?

§. III.

Sic Princeps potest minori, aliàs sine Curatoris auctoritate jure *Potest di-*
 administrandi bona tua & liberè contrahendi cum aliis destituto, *spensare*
 tribuere jus legitimæ ætatis, ut ipse hæc omnia absque Curatore *quoad a-*
 peragere possit. Quamvis autem videatur & opponatur, cujus- *tatem, c-*
 vis loci Magistratum hæc ætatis veniam rectè concedere posse, *jus veni-*
 ex *Novell. Leon. 28.* verius tamen est, illam dispensationem soli Prin- *am conce-*
 cipi competere *l. 1. 2. & 3. C. de his, qui ven. atat. imp.* qui Magi- *dendo.*
 stratibus inferioribus hoc Privilegium ex speciali delegatione con-
 cedere potest; Prætereaque etiam Novellæ Leonis apud Juris In-
 terpretes tantæ auctoritatis non habentur, ut juri Justiniano dero-
 gare possint, cum hæcenus in Imperio non receptæ, nec pro au-
 thenticis habeantur. Hillig. *in Donell. enucl. l. 26. c. 2. p. 1392.*

§. IV.

Impetrata igitur à Principe hæc ætatis veniâ, omnia illa solus *Quousque*
 agere potest minor, quæ alias poterat Curatore autore; aded ut *ista pa-*
 ratione actuum postea gestorum restitutione amplius non gau- *te a*
 deat *l. 1. & 2. C. de his qui ven. atat. impetr.* nisi contra veniam re-
 rum petat restitutionem. Sfort. Odd. *de Restit. qu. 23. n. 45.* quæ
 restitutio tamen ipsitantum ad actus futuros, non quos tempore
 veniæ gessit, proficit. Brunnem. *ad l. 1. C. de his qui ven. atat. im-*
petr. Mauric. de Restit. in integr. C. 226.

E

§. V.

*An dispensare
queat quoad
SCra
Macedonianum
& Vellejanum.*

Piura autem peragere non potest minor, qui veniam aetatis impetravit, quam poterat cum auctoritate Curatoris *l. 22. C. de Administ. Tutor.* & ita ratione bonorum immobilium vel alienandorum, vel pignori obligandorum venia impetrata nihil operatur, quia nec tutoris auctoritate minor bona immobilia alienare potuit. *l. fin. de Reb. alienand.* Potest tamen minor à Principe per dispensationem impetrare, ut ipsi conferat potestatem alienandi & administrandi bona immobilia, *per l. 2. C. Quand. Decret. non est opus*, quo casu cessat SCrum Macedonianum, ita ut liberè ipsi mutuum dari, & ab eo quoque accipi possit. Hoc SCrum etiam, ut Vellejanum, quod mulieres à fidejussione omnique intercessione liberat, non opponi posse putamus, quando Princeps, causâ cognitâ, mutuum aut fidejussorem ratihabet, & Rescripto, quod pro lege & sententia est, valere jubet *L. 2. C. de LL. Principibus* enim, nisi Imperii Constitutiones obicem ponant, legi derogare etiam Universali licet. *Per L. Omnes Populi ff. de J. & J.*

§. VI.

*An circa
alienationem
re-
rum Eccle-
siasticarum?*

Rerum Ecclesiasticarum alienatio regulariter non est permissa, nisi intervenientibus quibusdam solemnitatibus, & justa alienationis causâ; alias enim ob summum, quem Ecclesie habent, favorem, facillè eæ restituuntur, & ita sæpius aliquis læsionem incurere potest; quare Contractum cum Ecclesiâ in initum rem perniciosissimam appellat Wilh. Anton. à Freudenberg, *de Rescript. morat. Concil. 32. n. 14.* cui occurrendum Rescripto; & dispensatione Principis opus est, qui, si alienationi consentit, illamque confirmat, stabili omnino firmoque semper stat talo. *Rodoan. de Reb. Eccles. non alienand. qu. 21. n. 27.* Non aliter sese res habet cum alienatione bonorum Civitatis, quippe quæ cum bonis Ecclesiarum sæpe comparantur *l. 23. C. de SS. Eccles.* Et sine Principis speciali consensu, si nempe Civitas municipalis sit ipsique subiecta, non validdè alienantur *l. 3. C. de Vend. reb. Civil.* Quamvis enim Princeps liberam administrandi facultatem Senatui oppidano concesserit, il-

la tamen facultas alienandi licentiam non involvit, testante Loffzo
de *Jure univ.* P. 3, c. 5. n. 18. *seqq.* Consueti aliàs hujus alienationis
requisita videtis apud Brunnem. ad *L. ult. C. de Vend. reb. Civit.*

§. VII.

Potest etiam Princeps donationem 500. solidos excedentem *An circa*
absque insinuatione valere jubere, imo conventionibus omnibus *Donatio-*
ex defectu solennitatum invalidis & irritis vigorem ac validitatem *nem 500.*
suà autoritate & dispensatione conciliare ac tribuere. *Besold. Cons. solidos*
17. n. 13. *Et seqq.* Cephal. *Cons.* 91. Oportet autem Principem ad *exceden-*
salutem Populi sicut tanquam supremam legem, juxta Platon. *de Sep. tem?*
in omnibus istis dispensationibus respicere, & ad illam velut ad
amissim civium actiones componere, quia eà intentione, teste
Puffendorffio, *J. N. & G. l. 7. c. 9. §. 3. & 4.* Imperium in Principes
est collatum, ut per id semper & ubique procuretur finis, ob
quem Civitates institutæ sunt, h. e. ut actiones Civium ita tem-
perentur & dirigantur, prout salutis totius Populi atque Civitatis
expedit atque convenit.



CAPUT V.

DE

JURE DISPENSANDI CIRCA DELICTA.

§. I.

R Eip. tranquillitas ac salus aliter conservari non potest, quam *Dispen-*
duobus his firmissimis fulcris, præmiis nimirum ac pœnis, *sandi jus*
quibus ea velut stabilitur sustentaturq; , quod Plutarchus, *in Rep. ne-*
in Colon. Ciceroque in *Bruto* confirmant. *Conf. Mastrill. ad L. cessarium.*
de Magistrat. 3. C. 10. n. 351. *seq.* Ubi enim severa nulla judicia
exercerentur, etiam bona ingenia corrumpuntur. *Isocrat. in Arzo-*
pag. Illis propterea opus est ad honorandos probos, his verò ad
E 2 cocercendos

coercendos malos ; ut hi metu pœnarum vel ad saniores reducantur frugem , vel , pro delicti qualitate , planè è medio tollantur. Reink. *de Regim. Secul. & Eccles. l. i. c. 1. c. 8.* Respectus tamen ad salutem Reip, etiam in pœnis infligendis omninò habendus est, & quid ei magis expediat probè considerandum, ne pœnæ magis noceant quam profint , aut rigor clementiæ præponderet ac anteferatur ; cum clementia neminem magis quam Principem deceat, Senec. *de clementia l. i. c. 3.* Gail. *Pac. publ. l. 2. c. 19.* Hinc jus dispensandi in delictis deducitur, quando scilicet Princeps delinquenti gratiam facit, vel mitigando vel profus remittendo pœnam promeritam §. 6. *inf. 7. de 7. N. G. & C. l. 1. inf. ff. de Constit. Princ.*

§. II.

Cui id jus competat?

Competit hæc dispensandi potestas Principibus supremis, summam in Republica potestatem habentibus, ex jure Majestatico & regali vel propriè vel analogicè tali *l. 1. 4. & fin. C. de Sentent. pass. l. 27. ff. de Pen. Coccej. Prind. Publ. Jur. c. 13. §. 8.* vi cujus Principes Imperii Protestantes, postquam sc. jugum papale excusserunt, juraque competentia recuperarunt, reum crimini obnoxium ex singulari gratia pœna eximere possunt, vel eam in totum condonando, vel pœnam corporalem in pecuniariam commutando, vel condemnando & mox reum restituendo. Egid. Boscius, *de Remed. ex sola Princ. clement. n. 23. L. Lucius 17. ff. ad Scrum Turpil. N. A. zu Speyer de Ao 1562. §. 8. Soll auch Zaf. de Art. §. panal. 22. n. 23. Linna. 4. Jur. Publ. c. 8. n. 268. &c. Myler. d. l. alleg.*

§. III.

An Civitates Imperii eo jure gaudeant?

Adscribunt quoque hoc jus dispensandi Civitatibus Imperii immediatis, superiorem præter Cæsarem non recognoscentibus Caipz. *Qu. crim. 150 n. 19. Kniplch. de Jure Civit. Imp. c. 27. n. 1. & ibid. alleg. Oldekop. Syllog. pract. caut. crim. Tit. 5. caut. 21. n. 5.* Attamen quoad has distinguere solent aliqui inter restitutionem ex capite justitiæ, & restitutionem ex capite gratiæ hanc soli Principi, alteram Magistratui attribuunt Kniplch. *d. c. 27. n. 34. Thoming. Consf. 65. n. 9.* Sed hoc modò confundi jus aggra-

aggratiandi cum potestate & officio Principis remittendi aut minuendi pœnam, ex doctrinâ interpretationis Legum, & astimationis delictorum, quod nec Principi proprium, sed ipsi cum magistratibus quibusvis commune esse optimè asserit & notat D. Thomasi. in *Disp. de jure aggrat. Princ. Evang. in caus. homic. c. 1. §. 17.* Hinc potius *justitia administrari, non autem aggratiatio hoc casu fieri dicitur; quia his casibus planè non dispensat, aut quid pena remittit, aut lege se clementiorem præbet Magistratus, sed potius Legis Interpretem & Executorem agit, & prout lex ipsa præcipit, statuit atque punit, uti egregiè testatur Illustr. hujus Academiae Cancellarius Dn. BERNH. LUDOVIC. MOLLENBECIUS, in Dissert. de Aggratiat. Judic. jure aggratiandi destit. Sect. 1. §. 1.*

§. IV.

Principem ad ignoscendum quam ad condemnandum pro- Non ta-
norem esse debere, omnes volunt Juris interpretes. *Nulla enim dote, nullò genere virtutis mortalitas propius accedit ad Naturæ divi- men indi-
nae similitudinem, quam miserandò humanae imbecillitatis, ignoscen- stinctè jus
do erroribus, & injurias obliviscendo.* Forstner, ad Tacit. annal. l. dispensan-
6. Non tamen hoc ita indistinctè admittendum, sed potius cum di concessum est.
grano falis intelligendum est. Nimirum quantum fert bonum
publicum, jus lætæ partis, & justitiæ præscriptum. Reink. l. c. l. 11. cl. 1.
c. 8. n. 67. Principi quippe hoc in casu partes boni Medici implere
convenit, qui medicamenta fortiora non nisi in summo extremi-
tatis casu adhibet, & tam exosa habet crebra supplicia quam Me-
dicus multa funera. Temerè tamen & sine justâ causâ reis indul-
gendo bono publico magis officeretur, cum *malitiosi homines
communiter veteris delicti impunitatem non tam emendationi depu-
tent, quam potius consuetudini, ac dimissi gaudia lætitiæque com-
munem contaminent l. Nemo 3, in pr. & fin. C. de Episcop. audient.*

§. V.

Delicta committuntur vel (1) contra Jus Naturale vel (2) Discer-
contra Jus positivum. Horum quædam divinam Majestatem i- nenda sunt:
psam principaliter, quædam proximum, quædam Principem & delicta:
Reipublicæ

Reipublicæ statum offendunt. Ioh. Petr. Ceremat. *de Recti reg. ad-
ministr. c. 31.* de quibus nunc pauca discernemus, eaque, pro iudicii
modulò, ab invicem discernemus.

§. VI.

*Jus Natu-
ra species
pœnarum
non deter-
minat.*

Jus Naturæ nequidem ullam determinare delicti pœnam
prolixius demonstravit Dn. Thomafius, in alleg. *Disp. c. 2.* pro-
ptereaque omnes pœnarum determinationes ex jure positivo de-
rivandas esse dicit; hisque argumentis sententiam suam probare
aggreditur, quod Jus Naturale modum pœnæ in nullo delicto
certum præstituat, quamvis in genere quidem delinquentes puni-
endos dicitur; quare illud prudentiæ & arbitrio iudicis relin-
quendum esse, quod Juri Naturali ob infinita delictorum genera
& infinitarum circumstantiarum limitationes plane sit impossi-
bile. Ita in nullo inveniri posse loco, asserit, Jure Naturæ quæ-
dam delicta capitaliter puniendâ, quædam autem levioribus pœ-
nis esse mactanda, quod indicium præbeat indubitatum, illud
iudicum prudentiæ politicæ esse relictum, quæ omnia delicta non
æqualiter, sed pro illorum qualitate puniendâ judicare debeat.
Quemadmodum autem necesse est, ut crescentibus delictis pœ-
næ quoque crescant; ita quoque justis ex causis, ut illæ decre-
scent, ejusque rei determinatio Principis arbitrio relinquatur, necesse
esse, pluribus ibidem demonstrat, & ad objectiones respondet,
c. 4. §. 23. Pertinent hûc verba Grotii, *ad Cap. Matth. 5.* senten-
tiam hanc probantia qui ita inquit: *Quod quidam existimant,
homicidio naturaliter respondere capitis pœnam, in eo falluntur. Pœ-
na enim delictorum non sunt ipsò Jure Naturæ, aut ulla Dei per-
petua lege constituta, sed pro modo inde imminentis periculi intendi
ac remitti solent.*

§. VII.

*Non tamen
repugnat Ju-
ri Naturali
pœnarum
determina-
tio.*

Quamquam autem Jure Naturæ certum quoddam pœnæ ge-
nus determinatum non sit; tamen Legem divinam positivam
Scriptura satis liquidò apparet; unde inferunt, legem divinam
legi Naturæ adfistere. Inde, ut ut certas constituent pœnas solæ
Leges

*An in Homicidio
jus aggratiandi lo-
cum habeat?*

Argumenta negantium.

Qui Jus aggratiandi Principibus aut summis Imperantibus com-
petere negant, his utuntur argumentis (1) Quod Deus ipse in
homicidas capitalem constituerit pœnam. *Genes. 9. v. 6.* ita inquit:
Effundens sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur,
& ex hac loquendi ratione latis clarè parere volunt, verba hæc,
cum habent vim legis habere, cum hic futurum, æquè ac in Decalogo, ponat-
ur pro Imperativo, addaturq; gravissima hujus rei ratio, *quia sc. in
imaginem Dei hominem Deus fecit* (2) Præceptum illud *Exodi 21. v.
12. Quicumque hominem percusserit, ut moriatur, morte morietur,*
Noacho, omnium Gentium parenti datum fuerit, unde quod iu-
ter naturalia aut moralia juris præcepta omninò hoc referendum
sit, ex objecti universalitate concludunt (3) Principibus *Matth. c.
26. v. 52. & Rom. 13. v. 4.* expressè præcipitur, ut innocentis lan-
guinis effusionem vindicent. Tandem & (4) ex *Apocalyp. Ioh.
c. 13. v. 10.* luce clarius appareat, eum qui gladio occidit, gladio
vicissim occidendum esse. Hæc igitur Principem obstringere,
quo minus à pœna capitali divinitus constitutâ recedere valeat, in-
dubium esse existimant. *Conf. Rechenberg, De Jure Princip.
Christi. aggrat. circa homicid. negat.*

§. XI.

*Argumen-
ta affir-
mantium.*

Contrariam autem qui defendere conantur sententiam, ad
argumenta præcedentia respondere solent, (1) Quod in dicto
Genes. 9. cap. allegatum futurum tempus, ut Grammatici loquun-
tur, extet, idque textu Ebraico demonstrare volunt; indè non agi
hic de necessaria à magistratu sanguinis effusione, quæ soli occul-
ro Dei Judicio referretur, qui homicidas etiam si pœnas effugerent
humanas, tamen homicidium commissum variis modis atq; pœnis
fit, ulturus. Legis Universalitatem autem, quam ex eo defendere
conantur, quod Noacho Judæorum non tantum, sed & Gentium,
quotquot post diluvium vixerunt, omnium parenti lex illa *Exod.
Cap. 21.* data sit, ex eo infringere meditantur, quod Magistratui
politico in illo loco legem præscriptam non esse verisimile sit, quia
illo tempore in familia Noachi nulli Magistratus erant. *Dictum
Johannis*

Johannis neque hic sufficere putant ad probandam thesin de interficiendo homicida; agere enim ibidem Apostolum, patientiam commendaturum, de persecutoribus Ecclesiæ, atque docere, eos gravissimas pœnas Deo daturos, ipsumque severè vindicaturum illatas piis injurias. Hinc illum quoque subjicere: *In hoc sitam esse spem & patientiam sanctorum.* Ad eundem modum interpretantur verba, quæ Christus Petro dixit. *Matth. 26, v. 52. Converte gladium in vaginam &c.* Neque locum *Roman. 14.* huc pertinere, neque has Leges Positivas Veteris Testamenti Christianos Principes obligare existimant. D. Heinichius, in Consilio homicidæ dato, hanc addit rationem, *quod Christiani alioquin & adhuc Legem de necandis adulteris & de non comedendo sanguine ubique tenerentur observare qua eodem continetur capite. Ob certam, ait, causam Deus post diluvium tam severè homicidium puniri mandavit, sc. cum iam ante Diluvium Gigantum etate promiscua invaluisset cadium licentia, ne instaurato post diluvium humano genere mos idem invaleretur. Nulla verò inde formari potest consequentia, quod hanc ob causam Magistratus quoque, hodiè teneantur tam gravi pœna interficere homicidam, præsertim cum alia pœna, quibus homicidia coerceri queant, & Reip. tranquillitas conservari, in promptu sint.* Conf. Thomas. in Disput. de Jure Principis Evang. aggrat. homicid.

§. XII.

Sed quicquid hujus rei sit, & quomodocunque etiam sese habeat cum variis istis DD. controversiis; certum tamen est, prævalere auctoritatem divinæ jussionis; & summo Imperanti summam esse adhibendam cautionem, ne temerè & sine gravissima causâ dispensationem impetiat. Quamvis enim illi Principes, quibus regalia ac jura competunt territorialia, ex absoluta potestate criminis admissi gratiam facere, reisque pœnæ veniam indulgere queant, Carpz. P. 3. *Ver. crim. 4.* 150. tamen non pro lubitu & absque justâ causâ licentiam dispensandi sibi sumere possunt, qui

Princeps absq. urgenti causâ dispensare non potest.

F &

judicium non sibi ipsis agunt, sed Deo qui cum ipsis in iudicio est, & qui hanc ob causam illis sceptram potestatemque supereminentem, ut Apostolus *Rom. 13. v. 1.* loquitur, dedit, ut omnia ad salutem & emolumentum subditorum temperarent; cum illud etiam Imperialis benevolentiae proprium iudicet Justinianus, ut omni tempore subditorum commoda tam in vestigare, quam eis consulere procurrent *l. 23. C. de nupt.* quod prout variis ex circumstantiis variis mutationibus obnoxium, quas neque praevidere facile est neque praedicere; ita solummodo Deum & Imperatorem (i.e. summum Imperantem) sequentem Deum hac gubernare mediocriter oportet, testante *Novella 69. c. 4. §. 1.* Etenim nonnunquam causae quaedam occurrere possunt, in quibus, quod ex lege & iure divino prorsus est capitale, ex circumstantiis facto vel delicto accedentibus ita leve efficitur, ut non nisi à sanguinario Dracone capitaliter puniri queat, prout fermocinatur *Ziegler, de Jure Majest. L. 1, c. 8.* Vid. *Zepper. Tr. de L.L. Mosaisis.*

§. XIII.

Jus dispensandi juxta varias homicidiorum divisiones discernitur.

Homicidiorum ordinaria divisio est in (1) *Casualia*, quae ab omni poena exempta sunt; adeo ut nec in foro poenitentiali de Jure Can. hic ulla poenâ locum habeat *c. f. caus. 15. qu. 1. Exodi 21. v. 13. 20.* *Henr. Gebhard. de Juris princ. concl. §. n. 6.* Is namque nullam meretur poenam, penes quem nulla culpa est, nullus dolus, taleque delictum fato magis quam noxae imputatur *l. 1. §. Div. Hadrian. 3. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 1. C. eodem. Carpz. Prax. crimin. p. l. 3. qu. 27. n. 50. Gail. l. 2. Obs. 110. n. 38. (2.)* eorum divisio est in *Culposa*, in quibus ordinaria poena ex regulis justitiae remittitur. Hinc eleganter *Ulpianus* dicit *in l. Absentem §. §. fin. ff. de Poen.* in maioribus delictis referre, consultò aliquid admittatur, an casu; talem enim distinctionem in omnibus criminibus aut justam poenam eligere, aut temperamentum admittere debere add. *l. 7. C. ad L. Corn. de Sic. l. 3. §. 1. de Off. Praef. Vigil. l. 1. in ff. de*

ff. de term. mot. Const. crimin. art. 146. ibi §. Aber dennoch ist mehr etc. (3.) Dividuntur in *Voluntaria* seu *Dolosa*, in quibus Principi regulariter dispensare prohibitum. Gothofr. à Bavo in *Tr. Reatum*, qu. 21. n. 15. Forster. *Tract. de Pact.* c. 4. n. 67. membr. 4. nisi, ut jam dictum, tales circumstantiæ adfuerint, propter quas pœnam ordinariam mitigare vel remittere omnino liceat. Ubi enim circumstantiæ concurrentes pœnam ordinariam respuant, ibi fieri posse ait Ziegler. de *Jur. Majest.* l. 1. c. 8. ut homicidium pœnâ tantum pecuniariâ puniatur c. 2. X. de delict. pueror. d. l. Covarruv. l. 1. *Resolut. c. ult. n. 8 & l. 2. c. 9. n. 2.* Addit præallegatus Ziegler d. l. *Principem in iis delictis, quorum turpitudine ex Natura constat, quæque pœnis & suppliciis coercere sacra jubet pagina, haud rigidiorum & difficiliorem esse oportere.* Heig. qu. 24. n. 30. & 42. &c. Quod tamen non ita intellectum volo, pergit cit. Autor, ac si prorsus easdem pœnas, quæ in sacris literis decernuntur, à Principe irrogari debere arbitretur; id enim respectu politicae fœdaicae forensis quid erat, in Novo Testamento abrogatum; sed quod Princeps sine argenti causa remittere non possit supplicium mortis, si quando morte puniri delicti alicujus gravioris reum voluerit jus divinum. Conf. Carpvov. *Prax. crim.* p. 3. qu. 150. n. 29. *ibid. alleg.* Et hinc rectè asseri ait: *Æquitatis temperamentum non in humanis tantum, sed & ipsissimis Decalogi Legibus, à supremo omnium Legislatore latis, obtinere, contra Lambert. Daneum c. 5. l. 6. Ethic. Christian.* Consentientem hic habet Bacchov. ad Treutl. *Vol. 2. §. 39. th. 3.* qui quaestionem de aggravatione in atrocioribus delictis, quæ communis etiam ratio morte mulctare decernit, ita decidit: *Jure quidem potesta-*

tis pœnam remittere posse Principem ; sed si sapius & temerè id faciat , graviter eum peccare.

§. XIV.

*Cause dispensatio-
num va-
ria:*

Circumstantias autem & causas , propter quas vel pœna miti-
ganda , vel planè remittenda , ob varietatem casuum & negotio-
rum certis includere regulis planè impossibile est. JCrus Claud. Sa-
turn. in l. 16. §. 1. ff. de Pœn. circumstantias has numero septenario
comprehendere & includere voluit , & omne factum ex septem
his circumstantiis probè trutinandum esse inquit , nimirum , ex cau-
sa , Persona , Loco , Tempore , Qualitate , Quantitate & Eventu . Sic
merita personæ respicienda , & egregiam artem mitigationem ef-
flagitare , testatur l. aut facta 16. l. ad Bestias 31. ff. de Pœn. Sic etiam
Furiolus ut doli non capax , ita nec verè peccasse censetur l. 3. §. 1. ff.
de Injur. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. neque valdè ebrius , quoniam ebrie-
tas mentis inducit exilium , rationis deliquium , voluntatis impe-
tum c. à crapula X. de Vit. & hon. Cler. l. 1. §. de Pœn. ordinariâ pœ-
nâ plectendus esse videtur , L. Omne delictum 6. §. 2. ff. de remisit.
l. 2. Obs. 110. n. 24. De quibus omnibus prolixius consuli pot-
est , Clafen , de jure aggrat. c. 3. Carpzov. de L. Regia cap. 9.
sect. 11.

*In reliquis
delictis hu-
mano jure
prohibitis
prohibitis
dispensa-
tur.*

§. XV.

In reliquis delictorum generibus , quæ vel directè in ipsum
Principem , statum Reip. ejusque jura & statuta committuntur ,
pro arbitrio Imperantis pœna statui potest , quia in
ejus voluntate positum , rigidè an secus , in totum an pro parte
illam

illam exigere velit. Laudabile tamen ipsum facturum, magni-
 que animi indicium fore existimat Myler *l. cit.* si Princeps propriam
 injuriam mera gratiâ vindicet *l. un. C. si quis Imper. maled. l. 2. C. de reb. cred.* cum Principis gloria consistat in damnatorum restitu-
 tione & ignoscendi gloria, Danæus *l. 6. Polit. Christian. c. 3. Casp. Stock. Cons. 192. n. 24. seq. Vol. 3.* Huc pertinet constitutio Theo-
 dosii jam allegata, qua eum pœnæ subjugari prohibet, ne-
 que durum quid & asperum sustinere vult illum, qui nomen Im-
 peratoris maledicto laceßere ausus fuerit; *quoniam*, inquit,
*si id ex levitate processerit, contemnendum est, sin ex insania, mi-
 seratione dignissimum, si ab injuriâ remittendum.* Ac in privatis
 quidem injuriis oportet Principem facilem esse ad ignoscendum;
 sed in iis, quæ lædunt Remp. aut ad seditionem spectare possunt,
l. 1. in fin. ff. de Crim. læsa Majest. decet esse severiorem Theo-
 dor. in *Colleg. crim. disp. 10. th. 7. Lit. B.* Et id quidem haud
 immerito; cum Princeps imitari debeat DEI clementiam, teste Ju-
 stiniano in *l. 23. C. de Nupt.* Ait enim ibidem: *Nam ita cre-
 dimus Dei benevolentiam & circa genus humanum ni-
 miam clementiam, (quantum Natura nostra possibile
 est,) imitari, qui quotidianis hominum peccatis sem-
 per ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere no-
 stram, & ad meliorem Statum eum deducere,* cum antea
 in verbis præcedentibus subjectorum commoda Imperantibus ef-
 ficaciter commendaverit; tandemque ita concludit: *Quod
 si circa nostro subjectos Imperio Nos etiam facere dif-
 feramus; nulla venia digni esse videbimur.* Quod si
 igitur hac in re Imperatorem optimum imitari cæteris omni-
 bus placeret Imperantibus, cum Illoque tam in hætenus per-



tractata materia, quam in omnibus aliis subditorum negotiis ef-
farum hoc Justiniani probe inspicere & observare studerent, ita ut
salutem subditorum clementiamque erga illos sibi nunquam non
cordi esse sinant, persuasissimum quoque habere possent, Cle-
mentissimi Numinis gratiam sibi in æternum non defuturam,
quam ut omnibus piis Imperantibus DEUS T. O. M. benignissi-
mè largiatur, animitus precor; CUI pro gratiosâ assi-
stentiâ & omnibus præstitis beneficiis sit
laus & Gloria in æternum.

T A N T U M !







Güßler, Diss., 1713-15


ULB Halle

3

005 356 717







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE

1715, 4
21
13

JURE DISPENSANDI,

QUAM
DEO TER OPTIMO MAXIMO PRAESIDE,
EX DECRETO MAGNIFICENTISSIMI ORDINIS
IN ILLUSTRIS LUDOVICIANA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI,

PLACIDÆ EXCELLENTISSIMORUM ACADEMIAE
PROCERVM DISQUISITIONI SUBMITTIT
SIGFR. GUNTHER. HOFFMEISTER,
HILDESIENSIS SAXO.

H. L. Q. C.
AD DIEM 28. NOVEMBRIS ANNO 1715

GIESSÆ-HASSORUM,
Typis VIDUÆ JOH. REINH. VULPII, ACAD. TYP.